

LIBER IV.

DECRETALIUM

D. GREGORIJ

P A P Æ IX.

PER

Controversias celebriores
Concordatus

Ex lib. fidei friderici seu schwiges. Paroli. 1710.

Quæstiones Selectæ

DE SPONSALIBUS,
ET MATRIMONIJS


STUDIIS, & OPERA

P. F. JACOBI HOFFSTETTER

à Labaco Ordinis Minorum S. P. Francisci
Reformatorum, in Labacensi studio actualis
Sactorum Canonum, & SS. Theologiæ
Lectoris Generalis.

Anno à Mundo reparato M. D. CC. XIII.

LABACI, Typis Joannis Georgij Mayr, Inclytæ
Provinc. Carnioliae Typogr.





PARS III.


De Bonis Matrimonij.

ET PARS IV.

De Impedimentis dirimentibus.







Epistola Nuncupatoria.



JLLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
J A C O B O
SCHELLENBURG,
Sac. Cæs. Regiæq; Maj.
Consiliario, Archiducatūs Ca-
rinthiæ, & Ducatūs Carnioliae Nobili Pro-
vinciali, & Patritio, Conventūs Lithopo-
litani Fratrum Minorum S. Francisci, & La-
bacensis Collegij Societatis S. Ursulæ
Fundatori,

Domino, ac Patrono gratosis^{mo}

Tuis sacramentum obse-
quijs opusculum præ-
jens dicit : adsum,
ut Tibi magno suo
luminari profundæ venerationis
pendat homagium. Sed auro No-
bis loquendum foret ad Te Illu-
stris-

Strissime Domine Fundator, dum
loquimur de Te, totum siquidem
esse Tuum est ad bonū publicum,
ita, ut non Nobis tantū, sed terris
datius jure dicaris: cum proinde
vivant bodiedūm in candida bi-
storiæ papyro magna nomina, ve-
lut in vitali mausoleo, respirant
ad vitam in emortua pagina, &
quotidie scriptorum stylis effodi-
untur, licet quoque Nobis de No-
bis Te meritiſſimum ſeculorum
memoriae pietate Seraphicā in
pagella hac transcribere. Cupido
vivendi vitâ gloriæ, mille artes
invenit perennitatis, marmora,
mausolæa, arcus triumphales,
aedificia, in quibus futuræ ætati
superficius. In omnibus his pe-
rennas, Illuſtrissime Domine
Fundator, dum ſacris, & profanis

- domi-

domicilijs Urbem Æmonam ampliasti, & ornasti, Divis aras marmoreas erexisti, verbo, in omni loco munificentiae, & pijissimæ liberalitatis monumentum posuisti: si homines tacuerint, in testimonium lapides loquentur. Ast ossiculatim diffinguntur ru-
pes in humilem arenam, distabe-
scit æs, & ferrum rubigine, &
limâ temporis in mortis pulverem
Conteruntur: verum in bac re-
rum omnium strage superstites ex-
stabunt magnorum Tuorum no-
minum reliquiæ. Alumnorum
ampla fundatio opus est Illustriſ-
ſimum, & in cælis coronandum:
erectis à Te Asceterijs quantum
applaudendum, satis explicare
materia ipsa non finit. O Dent
superi, optimo fundatori tam

sancta opera in mille retributio-
nes, nam per Te summus Religio-
nis favor stat, & ampliatur,
Deus Colitur & adoratur. Scire-
mus singularem Tuam in rebus
agendis prudentiam laudare, sci-
remus rectissimi cordis Tui simplit-
atem ostendere, sciremus di-
cere, Te prudentia, & simplici-
tate Tua adamussim explere pru-
dentissimum salvatoris nostri
consilium, & mandatum, estote
prudentes sicut serpentes, & sim-
plices sicut columbae; nam ut
Ovvenus canit.

Ut nulli noceas, es simplicitate Columba,
Serpens, ut valeat nemo nocere Tibi.

Sciremus has aliisque, quibus
polles animi Tui virtutes longissi-
ma orationis serie pertexere: scire-
mus eleemosynariam Tuam ma-

num prolixissimâ pennâ revereri,
qui Divinissimæ Providentiæ
magnum Eleemosynarius diceris,
et es, neque ullum assentationis
periculum nobis pertimesceremus,
quia diceremus, quæ dicenda
sunt, nisi Humilitas Tua, qua Ti-
bi ipsi minimis es, dum humilium
Filiorum S. P. N. Francisci Sera-
pbici providus Pater esse gloria-
ris, silentium nobis imponeret.
Stipendium porro magnarum
virtutum est honor, hic radius
hunc solem sequitur, adeò legitimi-
mus honornemini obvenit, quem
virtus, et labor per ardua non
manuducit: quantum in labo-
rum, et virtutum stadio Illu-
strissime Domine desudasti, sum-
matim retulimus, et hinc Te
Cæsar in gratiam, et Patriæ vo-

*cant in Patricium, magnis Te in
terris honorant nominibus, ac
immortalibus, quoad mundus
non morietur. Vive igitur Illu-
strissime Domine Fundator ma-
gnificus in terris, ac in DEI gra-
tia prolixissimè, alibi in gloria, ac
admitte exiguum gratitudinis,
& Debiti nostri affectus symbo-
lum, Tuum esse, & non nostrum,
tot titulis vindicasti, imo nostrum
tunc esse agnoscemus, cum illud
velut Tuum pro paterna, ut spe-
ramus benevolentia receperis.*

Jllustrissimæ Dominatio- nis Tuæ Syndici Apostolici, & Parentis Spiritualis

*Eternum Devoti Filij
Guardianus, & Patres,
ac Fratres Conventus
Labacensis.*


FACULTAS
Reverendissimi Officij . . .
Episcopalis Labacensis.

Cum præsens Tractatus per celebriores
controversias in Lib. IV. Decretalium
concordatus , ac in quæstiones selectas de
Sponsalibus , & Matrimonio distributus in
tertiam , & quartam de Bonis Matrimonij,
& Impedimentis partes judicio Theologo-
rum, à quibus ex commissione nostra revi-
sus fuerat, nihil fidei orthodoxæ, aut bonis
moribus adversum contineat , concedimus
hisce licentiam , ut imprimatur. In quo-
rum, &c. Ex Officio Episcopali Labaci die
20. Julij 1713.

(L.S.)

JOANNES ANTONIUS Thalnitscher
de Thalberg, SS. Theologiae Doctor,
Prot. Apostolicus , Cathedralis Ec-
clesiæ Decanus, & Vicarius Generalis
Labacensis.

FACUL-



FACULTAS ORDINIS.

FR. Conradus Ziegler, Ordinis Minorum
S. P. N. Francisci Reformatorum Pro-
vinciae Croatiæ, Carnioliae iteratò Minister
Provincialis, & humilis servus, Dilecto No-
bis M. V. in Christo Patri, Patri Iacobœ
Hoffstetter, ejusdem Ordinis Sacrorum Ca-
nonum, & SS. Theologiae Lectori generali
actuali, ac Provinciae Secretario salutem,
& benedictionem.

Cum opusculum manuale Canonisticum,
cui titulus est, *Lib. IV. Decretalium per con-
troversias celebriores concordatus, seu quæstio-
nes selectæ de sponsalibus, & matrimonij à V.
P. fructuosè, industriosè, & eruditè elabo-
ratum, ac visum, & approbatum fuerit, ne-
dum facultatem concedo, quin etiam man-
do, illud Typis dandi, servatis de reliquo
Iervandis. Actum in Conventu nostro La-
bacensi die 7. Julij Anno 1713.*

(L.S.)

Fr. CONRADUS ZIEGLER,
Minister Provincialis

ELEN-



ELENCHUS

Controversiarum Appen-

dicorum, & Paragraphorum.

PARS III. De Bonis Matrimonij.

§. I. **N**um, & quae bona sint necessaria ad Matrimonium. 5.

§. II. De Bono Prolis. 10.

§. III. De Bono Fidei. 14.

Controversia unica. Num Conjuges in sæculo remanentes valeant perpetuam vovero continentiam? 17.

§. 4. De Bono Sacramenti. 26.

Controversia prima. Quid sentiendum de sponsorum variabilitate? 30.

Appendix de tempore, in quo sponsis de præsenti licitum est ante matrimonium consummatum ingredi Religionem. 35.

Controversia secunda. An intra bimestre vi illata copula matrimonium reddat consumatum? 39.

Controversia tertia. Utrum matrimonium ratum per sacri ordinis susceptionem dissolvatur? 48.

§. V. De dignitate Sacramenti matrimonij, &
gravitate Adulterij. 52.

Controversia prima. Num absens, & dormiens
Sacramentum matrimonij valeat confesse-
re, ejusque rem, seu gratiam recipere? 60.

Controversia secunda. De aliena violentiae li-
bidine, quam in oppresso corpore mens
invita patitur. 71.

Controversia tertia. An orbi catholico licitus
sit Polygamiae usus? 76.

Appendix practica. De relaxatione, seu di-
spensatione voti castitatis. 85.

P A R S IV.

De Impedimentis dirimentibus in particulari.

Appendix interiacens. De notitia nullitatis
matrimonij, ejusqueremedio, nempe pro-
curanda dispensatione. 100.

Appendix altera. De rescriptis Sacrae Pœni-
tentiariæ. 112.

Controversia prima. An Confessarius sciens
nullitatem matrimonij, sed à contrahenti-
bus bona fide ignoratam, obligetur illam
sic contrahentibus promulgare. 122.

Controversia secunda. An invincibiliter igno-
ranti impedimentum dirimens possit con-
fessarius præcipere, ut reddat debitū? 129.

§. I. *Error.* 132.

§. II. *Conditio.* 143.

LIBER IV. DE-
CRETALIUM.

Dñi Papæ Gregorij IX.

PER
Celebriores Controversias
Concordatus,
SEU

QuæSTIONES SELECTÆ
DE
Sponsalibus, & Matrimonij.

Prompto, & in sacris studijs
distracto calamo de thesau-
ro Sacrorum Canonum nova,
& vetera pro residuis matrimo-
nij partibus in Librum IV. De-
cretalium profero, quia promi-

A

si.

si. Porro *Sacramentum hoc*
(quod rei est caput) *magnum*
est, inquit Paulus ad Eph. 5 ego
autem dico in Christo, & Eccle-
sia: ubi *hoc*, id est, conjunctio
viri cum fœmina vinculo ad eō
indissolubili, ut nulla de causa
sejungi ab h̄c mine possint, dici-
tur esse græco mysterium, lati-
nē sacramentum, id est, symbo-
lum seu signum alterius exqui-
sitissimæ, & nobilissimæ con-
junctionis nempe Christi cum
Ecclesia, quando in Incarnatio-
ne Christus visus est quasi, dum
semetipsum exinanivit formam
servi accipiens, in similitudinem
hominum factus, & habitu in-
ventus ut homo, relinquere Pa-
trem suum, postea etiam ma-

trem suam synagogam, ut sponsæ suæ Ecclesiæ Catholicæ adhæreret: verum non solum propter naturæ humanæ conformitatem (quomodo Christus tecum humano generi jungitur) sed etiam per spiritualem charitatem , quâ ut sponsus sponsam complectitur: talis autem conjunctionis signum esse non congruit, nisi præter civilem contractum includat etiam unionem spiritualem animorum, & consequenter gratiam, sine qua unionem istam habere non potest. Proinde harum pagellarum de sacramento hoc magno pars III. erit de bonis matrimonij: pars IV. de Impedimentis matrimonij: V. pars de divorcio.

P A R S III.

De Bonis Matrimonij.

Honorabile conjugium magnum habet, & naturale bonum, vim quoque amicitiae, cuius primum ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremq; legis authoritas ordinavit. *Bonum ergo conjugij*, docet D. Aug. lib. de Bono conjugali c. 3. *Quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit*, non solum quia prohibuit dimittere uxorem, sed etiam quia venit invitatus ad nuptias, cur sit bonum, mihi non videtur propter solam suorum procreationem, sed propter ipsam naturalem in diverso sexu societatem. *Habent etiam id bonum conjugia*, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiam si vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex male libidinis aliquod boni faciat copulatio conjugalis. *deinde quia reprimitur*, & quodam modo verecundius astuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Deinde 1. ad Timoth. 2. distinctius explicat Apostolus Matrimonij Christiani bona: *Salvabitur, inquit, etiam per filiorum generationem* (id est, in statu matrimoniali, ubi filii procreantur) *si permanferit in gratia, dum jungerentur, accepta*

acceptâ, puta *in fide* mutuâ datâ, *in dilectione*, *in sanctificatione*, *in sobrietate*: quibus tertiis reddentur à perfidia, odio, immunditia, & intemperantia.

§. I.

Num, & quæ Bona sint necessaria ad Matrimonium?

1. **Q**uod semel recta docuit ratio, fixum ratumque sit, aliqua oportuit esse bona, ut matrimonium prudenter fieret eligibile, & excusabile. Ita universaliter Theologî, & Canonistæ.

2. Probatur. Recta ratio docet, non esse faciendum aliquid ab homine, in quo grandem deberet sustinere jacturam, nisi cum recompensatione boni æqualis, vel majoris; atqui contrahendo matrimonium homo grandem accedit jacturam: ergo ut reddatur prudenter eligibile matrimonium, necessarium est æquale damno seu jacturæ bonum, aut majus. Minor probatur referendo damna, quorum

3. Primum est jactura intellectus, seu rationis quantum ad sui usum contracta ex carnali actu matrimonij: siquidem in nullo actu impeditur fortius usus rationis, ut probè advertit Philosophus 7. Ethic. c. 8. fur-

tur intellectum spissè sapientis : in illo actu homo, inquit Doctor Angelicus hic art. i. fit totus caro, & assimilatur equis, & mulis, quibus non est intellectus. Unde D. Hieronymus Epist. 11. quæ est de Monomagia, super verba Ezechielis mortua est uxor mea, & opertum est os meum, sic ait, nec Ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, possunt in opere conjugali ligare prophetare : quinimo habetur cap. connubia c. xxxij q. ii. Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur præsentia sancti spiritus dabitur, etiam si propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur. Docet amplius adductus Hierony.

lib. 1. contra Jovinianum cap. 28. Fertur Aureoli Theophrasti liber, in quo querit, an vir sapiens ducat uxorem? & cum definiisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus, ac dives sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim infert: hac autem in nuptijs raro universa concordant: non est ergo uxor ducenda sapienti. eccursum impeditiri studia philosophia per conjugium, nec posse quenquam libris, & uxor pariter inservire. Audiantij hujusmodi actibus impliciti Poëtæ vaticinium ast minimè fictum: & intelligant.

*Famina corpus, opes, animum, vim, lumen, sensus
Destruit, annibilat, necat, eripit, orbat, acerbat.*

Et

Et quanquam mulier tantam virium ex connubij actu non patiatur diminutionem quam vir, adeo tamen graves, acerbos, & crudeles in partu misera sustinet dolores, angores, & cruciatus, ut eos inferni doloribus similes Propheta Regius dixerit, *ibi dolores ut parturientis Psal. 47.*

4. Secundum matrimonij damnum est inevitabile incommodum nimæ solicitudinis placendi conjugi, proliſ filiciendæ, educandæ, & in futurum providendæ: hinc Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicit, conjuges habere cor divisum, id est, non integrè, & perfectè addictum DEO, quæ enim nupta, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro: & ibidem eandem solicitudinem vocat tribulationem carnis.

5. Tertium matrimonij damnum est jactura libertatis, dum conjuges perpetuâ quadam subjectione, & servitute affecti ducent sine jure dies annosuè, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* & rursus, *alligatus es uxori? muli? quarere solutionem.*

6. Sed his damnis æquè beata in recompensationem dat matrimonium bona, ob quæ rectè, & prudenter eligitur, & suscipitur, *semper Bonum Prolis, Bonum Fidei, & Bo-*

num Sacramenti: sic D. Aug. lib. 9. super Genes. ad litt. &c. 7. *Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, & sacramentum. In fide attenditur, ne praeter vinculum conjugale cum altero, vel altera concubatur. In Prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religio educetur.* In Sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa proliis alteri conjungatur. Eorum sufficientia ipsi potest ex parte causæ instituentis sive efficientis, & sic sumitur à triplici beneficio, nimirum à dictamine naturæ, ut vir accedat mulierem propter humanæ speciei conservationem, & sic est bonum proliis: à dictamine rectæ rationis, ut accedat suam & non alienam, & sic est bonum fidei: à dictamine gratiæ, ut significetur unio divinæ naturæ, & humanæ, & sic est bonum sacramenti.

7. Damnum jacturæ rationis, & diminutionis virium ex usu conjugij compensatur bono proliis, nempe procreatione liberorum, quibus humana species perpetuatur, & conservatur, DEUS æternum colitur, in quem finem præcipue sunt optandi liberi, ut tradit Plato lib. 9. de legibus. Oportet parentes gignere, & educare liberos, qui vitam sanguinem lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui DEUM colentes juxta ipsius legem.

gem. In id ipsum est Novella 22. Justiniani Imperatoris. *Matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum.*

8. Damnum nimiæ solicitudinis placendi conjugi, & liberis providendi refuscitur bono fidei, id est, sanctâ facilitatis obligatione ad reddendum debitum conjugale, petendum legitimè, & cuicunque alteri corporis sui usum negandum, quæ fidès omnem sublevat carnis tribulationem, dum conjugum corda purificat ab omni alieniori cupidine, eorumquè mentes ad unum cor charitate non fictâ dirigit.

9. Damnum jacturæ libertatis reficit bono Sacramenti, id est, vinculi indissolubilis, quo conjuges representant inammissibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturquè se mutuò diligere, ut Christus dilexit Ecclesiam. Deinde quam suaviter progreditur is, quem DEI gratia portat, quæ ad creatam libertatem comparata sic se habet, ac si parvo numero centenarius numerus comparetur: hâc gratiâ in sacramento matrimonij beantur catholici conjuges, atque hæc sanctificat connubium, dat supernaturalia auxilia ad castum mutuum conjugalem amorem, dirigit ad

suaviter, & fideliter præstanda matrimoniij munia: quæ proinde incomparabiliter gravior esse debet, quam effrenis libertas.

§. II.

De Bono Prolis.

10. **D**ivina nuptiarum Benedictio, ut conjugati crescerent, & multipli-
carentur, & impigerent terram, quamvis &
in delinquentibus post Adæ lapsum manse-
rit, tamen antequam delinquerent, data
est, ut cognosceretur filiorum procreatio
ad connubij gloriam, & minimè ad pœ-
nam pertinere peccati: atquè de hoc pro-
creandæ prolis bono Canonistæ in proposi-
to libro pauca notant, nec ea in contro-
versiam vocant, proinde quædam pro pra-
xi scitu digna.

11. Nota. Quomodo actus conjugalis ex-
cusetur à peccato? hunc aut inducit virtus
Justitiae, nimirum, ut debitum reddatur; aut
virtus Religionis, nimirum, ut proles ad
DEI cultum procreetur, & sic non est pec-
catum, sed potius opus meritorium in eo,
qui gratiam sanctificantem habet: licet enim
motus in carne præcedat actum conjugalem,
ille tamen actus non est peccatum; quia pro-
cedit ex cognitione ordinata, puta cum quis
cogitat

cogitat accedere ad legitimam uxorem, ut ex ea habeat prolem: est ergo actus iste ratione virtutis meritorius; ratione prolis, & fidei bonus; & ratione sacramenti sanctus: sic D. Thomas. art. 4. Dicitur aliquis humilioris actus bonus dupliciter uno modo bonitate virtutis, & sic habet actus, quod si bonus ex his, quae ipsum in medio ponunt, & hoc faciunt in actu matrimonii fides, & proles: alio modo bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur.

12. Quæres. An peccent saltem venialiter conjuges in actu conjugali, si non convenient causâ procurandæ prolis, aut debiti reddendi? R. cum SS. Patribus Affirmative, Augustino I. de bono conjug. c. 6. Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam: concupiscentia vero satianda, sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam. & c. 7. Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem est culpa venialis. & l. 2. contra Julian. c. 10. Conjuges contrahere unde quotidie dicant, dimittentes debita nostra, quando modum generationi necessarium causâ solius voluptatis excedunt. Gregorio Magno I. 12. Moral. c. 17. Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libi-

libidine, sed pro iuscienda prole miscentur.
Dum itaque ad actum conjugalem sive moveat libido sistens infra matrimonij bona sive fines, videlicet nullo modo ad aliam velle accedere; sive moveat ratio fornicationis vitandæ in se ipso, quando vir cognoscit uxorem non ut quærat voluptatem in ea, sed ne cadat cum alia; Sic D. Thom. 4. d. 31. q. 2. a. 2. ad 2. D. Bonav. d. 31. a. 5. q. 2. Doctor subtil. 4. d. 26. q. un. ad finem.
Sive moveat ad actum causa incontinentiae,
quia non potest continere se propter nimium feroorem fornicatis: semper ex his motivis actus conjugij venialiter erit peccaminosus; quia in omnibus his videtur justam ratione pati sine recompensatione alicujus boni.

: 73. Dices. Licet homini bibere, ne sitiat. ergo & similiter cognoscere uxorem, ne fornicari appetat. Respondeo breviter ad hoc familiare lascivientium argumentum. Ne paritatem: quia in primo est motus naturæ, & necessitatis; in secundo vero non nisi motus naturæ, per consequens reprehendens, & reducendus ad dictamen rectæ rationis, quæ est lex, & regula naturæ. Quidquid demum sit (ait doctissimus Viva in Proposit. XI. damn. mihi fol. 27.) an possit opus conjugij exerceri ad vitandum in se peri-

periculum incontinentiae, quod communius negant apud Sanch. l. 9. de matrim. disp. 9. quoties alii non difficultibus mediis potest incontinentia vitari.

14. Sed quid dicendum de viro, qui cognoscit uxorem modo inconsueto, in vase tamen debito? R. Quod si propter voluptatem amplius querendam hoc faciat, mortaliter peccat, ut probabiliter sentiunt Doctores. Si autem faciat hoc propter aliquam causam, puta, ut quia non potest, vel quia non audet anteriorius accedere propter nimiam imprægnationem, vel aliquam infirmitatem, & sic aut vult cognoscere uxorem causa prolem generandi, vel debitum reddendi, & tunc non peccat: aut causâ delectandi sistendo tamen infra terminos matrimonij, & propter recensita impedimenta, tunc venialiter peccat: permittitur enim minus malum, ut vitetur majus scilicet adulterium.

15. Dices. Hujusmodi accessus est contra naturam. ergo graviter peccaminosus. Prob. Antec. Talis actus non fit modo humano, sed brutali: & licet non fit contra naturam generalem, est tamen contra naturam rationalem: unde super illud ad Rom. I. v. 26. *in eum usum, qui est contra naturam, dicit Glossa Contra naturam est coitus,* quan-

*quando vir cum muliere dormit aliter, quam
debet. ergo. R. Quod solus ille accessus sit
contra naturam, qui non est in vase debito;
aut ubi totaliter frustratur intentio naturae:
& hoc videtur haberi per Gloriam cit. quæ
dicit: Quid est usum naturalem mutare in
viro, qui est contra naturam, nisi sublato usu
concesso alter uti quæcumque est concessum, cum
pars illa corporis non habeat hujusmodi usum
ad naturam datum. Nec videtur etiam esse
contra naturam rationalem, quando subest
ratio ad similem accessum prudenter sua-
dens, & inducens.*

16. Quid si mulier supergressa abutatur
viro? Respondeo. Mortaliter peccat, quia
modus iste est contra naturam, cum non
conveniat seminis infusioni quo ad virum,
nec receptioni quo ad fœminam, & ita fru-
stratur totaliter intentio naturae: & hoc
peccatum, quando mulieres in vesaniam
versæ supergressæ viris abutebantur, Me-
thodius inter causas diluvij numerat.

§. III. *De Bono Fidei.*

17. **B**onum fidei in Catholicorum conju-
gio duo importat: unum est, quod
conjuges teneantur non accedere ad alienum

num torum; alterum, quod teneantur sibi reddere debitum. Contra primum posset ficeri dupliciter, vel plures uxores habendo, vel Concubinam tenendo, utrumque in Ecclesia Catholica damnatum est: & quia de his Bono fidei contrarijs modis nulla jam est inter Christi fideles difficultas, eos pertransiit. unde restat solum quedam considerare de mutua conjugum obligatione ad reddendum debitum, quam obligationem divinum introduxit Jus 1. ad Corint. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro.*

18. Attamen in causa, quo vir non posset uxori reddere debitum salvâ incolumentate Corporis proprij, non tenetur reddere, quia noluit Deus virum obligatum mulieri in his, quæ sunt contra rectam inclinationem naturæ: recta autem inclinatio naturæ hujus conjugati hominis per prius est ad actum nutritivè, quo conservatur individuum proprium, quam ad actum generativè, qui ordinatur ad conservationem speciei, & hinc natura prius providet de nutrimento, quod est necessarium individuo, & superfluum reservat actui generativè: quare homo conjugatus non tenetur ad actum generativè in notabile præjudicium incolumentatis proprij individui. Ex his iterum pro praxi sequentia.

19. Nota. Quando vir damnatis, & illicitis actibus redditur impotens ad solvendum debitum uxori v. g. accedendo alias mulieres, præter adulterij crimen committit pecuniarem culpam contra justitiam : quia tenetur uxori debitum reddere. Præterea peccatum conjugum, quæ est immoderata mortificatione v. g. Jejunij, vigiliarum se inhabilem reddit ; secus si ex honesto studio, aut observatione Jejunii, aut moderata corporis castigatione minus potens efficitur : quia non tenetur cessare a bonis operibus, ut semper sit potens. Neque v. g. neque uxor sine consensu alterius possunt uovere abstinentias, vigilias, peregrinationes, quæ debito conjugali obstant : possunt tamen sancte, & salubriter conjuges ex mutuo consensu separari ad tempus, ut vacent devotioni, i. ad Corint. 7. nolite fraudare invicem. Neque est culpa habere actum conjugalem diebus dominicis, aut festivis, vel eo die, quo recepta est Eucharistia cap. vir cum propria uxore. c. 33. q. 4. Si quis ergo sua conjugi, non cupiditate voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, ipse profecto de ingressu Ecclesiae, seu de sumendo corporis dominici Mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Ratio etiam est : quia talis

lis actus est bonus, & aliquando obligat. Consultum tamen foret abstinere illo die propter reverentiam Sacramenti. Nequè uxor tenetur abstinere à participatione cum viro excommunicato cap. quoniam. c. II. q. 3. nisi fortè excommunicatio effet lata in causa Matrimonij, de cuius valore agitur.

20. Quæres. Num conjuges post Carnis copulam debeant simul morari, & se invicem sequi? Ex cap. I. de Conjug. lepros. *Quoniam igitur cum vir, & uxor una caro sint, non debet alter sine alter, esse diutius.* Sed quantum extendatur h[oc] diutius, Jus Canonicum non determinat, & ideo in arbitrio prudentis Judicis consistit: quare vir tenetur uxorem sequi, similiter & uxor virum. Unde si maritus à Principe vocetur ad bellum, uxorem volentem se comitari, tenetur accipere.

Controversia unica.

Num conjuges in sæculo remanentes valeant perpetuam vovere Continentiam?

S Pecies facti. Trullus post ratum consummatum uero cum

Valeria Matrimonium pertæsus
terum mundi saniora cogitat, &
exquirit media, quibus conju-
gem suam Valeriam valeret in-
ducere ad perpetuam continen-
tiam: atque post longam per-
suasionem, & consultationem
ambo ruunt pari consensu, voto-
que pari in perpetuam continen-
tiam. *Quæritur an Licitè?*

21. Negativam defendunt quidam plus
jure quam ratione, & primò adducunt cap-
tua nos. 24. de Jure Juran. *Tua nos duxit*
fraternitas consulendos, quid tibi super hoc sit
faciendum, quod maritus, & uxor ejus ad in-
vicem juraverunt, se nunquam mutuo petituros,
idem vero nunc repetit illam instanter, ea è con-
trario affirmante, quod prius jē ficeret saraco-
nam, quam rediret ad eum. Nos igitur Fra-
ternitati tuae respondentes: mandamus, quate-
nus utrumque ad continentiam servandam mo-
neas, & inducas, quam si promittere noluerint,
& servare, utrumque dimittas sine alio commo-
rari: alioquin si vir noluerit continere, tu illam,

ut revertatur ad ipsum, & tanquam uxor cum viro moretur, per excommunicationis sententiam appellatione remotâ compellat: cum & temerarium fuerit hujusmodi juramentum, & adulterium utrinque sit commissum. Atqui conjuges mutuo consensu perpetuam voentes castitatem seu continentiam jumenta edunt, quod ex justo temerarium est. ergo temerariè, & illicitè agunt conjuges perpetuam voentes continentiam.

22. Secundò probant cap. ex parte tui de conver. conjug. Porro licet prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum assumpisse, si tamen velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis in sacculo servatura, nihilominus consummandum est matrimonium jami contradictum: nisi se votu adstrinxerit ad observantiam regularem, ergo conjuges in seculo remanentes non obstante castitatis, & continentiae proposito valent reverti in idipsum, nempe in usum matrimonij.

23. Tertiò à paritate. Nequit Clericus ordinatus ordinis suscepti abjurare exercitium. ergo neque conjuges abjurare per continentiae votum usum matrimonij rati, & consummati: nam in utroque præstandum vetat juramentum ratio sacramenti liberè initi, & suscepti, quorum utrumque vi institutionis

28. Ad secundum Resp. diversum à nostro esse casum : ibi enim agitur de Matrimonio nondum consummato , & de libertate ante consummationem mutandi statum, in præsenti verò agitur de continentia in Matrimonio consummato ab utraque parte sponte promissa . ~~Si quemadmodum~~ n conjugi , si se ante consummationem Matrimonij voto obstrinxit ad regularem observantiam, ut loquitur capitulum , non compellitur ad ejusdem Matrimonij consummationem ; sic quoque coniuges consummato conjugio, sed ex post professâ continentia non debent regredi in id ipsum, nempe ad pristinum Matrimonij usum.

29. Ad Tertium Resp. Neg. Conseq. disparitas latissima est, quæ deducitur ex ipsa diversorum Sacramentorum natura : nam sacer Presbyteratus Ordo vi suæ institutionis fertur in actum nobilissimum , & optimum, ita ut ejus privatio tantò sit fatalior, quanto actus nobilior , consequenter nequit sacerdos abseque gravi peccato per annum omittere , minùs abjurare Ordinis Sacerdotalis exercitium : at verò continentia , cum sit melius bonum quam conjugij usus , ut patet ex affirmativæ rationibus, licet , & salubriter voveri potest. Quare

30. Deduco , & dico : Quod coniuges possint mutuo consensu vovere continentia , &

& renuntiare sibi invicem omni juri conjugali, quod unus in alterum habet, salvo tamen, & manente substantiali vinculo Matrimonij, & factâ solum separatione quo ad torum: & ad observantiam voti ambo sunt obligati, ita ut neuter votum revocare possit juxta cit. cap. Quod DEO. Et neuter potest petere, aut reddere debitum sine violatione voti, & gravi peccato, quia uterque renuntiavit omni juri conjugali, quod in alterum habebat quo ad debitum. Et

31. Nota amplius. Si conjuges mutuo consensu voveant, aut jurent continentiam, liberantur quidem ab usu debiti conjugalis, non tamen à mutua cohabitatione, alijsque obsequijs charitativis, ut docet Turre Cremata. Quare maritus, & uxor post editum continentiae votum tanquam frater, & soror in eadem domo, ac mensa simul vivere debent, lectis tamen, & cubiculis separati, dummodo id honestè & decenter fieri possit. Unde cum in cap. Omnino. XI. dist. 31. dicatur, quod, quando conjuges mutuo consensu voverunt continentiam, permittendi sint, ut unus sine alio commoretur, id non sic intelligendum est: quod ita separandi sint ab invicem, ut mutua charitatis officia sibi non exhibeant, sed quod non debeant convivere tanquam maritus, & uxor, adeoque

quo ad torum separati manere debeant, ut dictum est.

32. Nota secundò. Si post mutuo consensu editum inter conjuges votum continentiae alter adulterium committat, aut etiam uterque, nequeunt ab Ecclesiastico Judice cogi ad cohabitandum redintegrato Matrimonio, etiamsi periculum voti non servandī perseveret: quia indecens est, ut peccatum à voti obligatione eximat: cum contra incontinentiam alia suppetant remedia, quae adhibere tenentur, ut jejunia, orationes, castigationes Carnis rebellantis &c. donec ab eo dispensationem impetrant, qui potestatem illam habet, videlicet à Principe Ecclesiastice Papa.

33. Possunt itaque conjuges vovere continentiam ad tempus, & etiam in perpetuum pari consensu. Sed si uxor perpetuam vovit continentiam annuente, & consentiente marito tantum ad tempus, transacto eo tempore uxor debet compelli ad coabitandum viro, & conjugij debitum reddendum, ut constat ex cap. charissimus. Ratio: quia licet uxor obligetur ex voto continentiae edito, etiam sine consensu mariti in propriū præjudicium, ita ut conjugij debitum exigere non possit, non tamen potest vovere continentiam cum præjudicio mariti, nisi is consen-

fentiat, jurique suo renuntiet: cui in hoc postremo casu tantum ad tempus maritus renunciavit, ideoque eo elapsso potuit conjugem cogere ad reddendum debitum.

34. Quæres. Num maritus votum continentiae de ejus licentia ab uxore editum valeat irritare? R. Neg. Ratio. Censetur enim maritus absolutè, & simpliciter renuntiasse juri suo: quia quod conjugij usum concernit, maritus, & uxor juxta canones ad patria judicantur, sive æquali jure gaudent, cum non minus uxor habeat potestatem in corpus mariti, quam vice versa teste Apostolo. ergo maritus nequit revocare id, cui simpliciter nuntium dedit, neque irritare, quod amplius in sua potestate non est. Et quamquam maritus alia uxoris vota connubij usū impedientia, aut retardantia irritare queat, quam irritationem agit tanquam caput mulieris, non tamen valet irritare votum continentiae, circa hoc quippe parem uxor & maritus sortiuntur potestatem, cui si maritus cessit, plenariè pristinam acquirit corporis sui libertatem mulier: nihilominus uxor manet marito subdita quo ad domus gubernationem, & alia præter debitum conjugij, quia adhuc manet uxor, & domus caput, decus, & ornamentum.

§. IV.

De Bono Sacramenti.

35. **S**anè quæ homo conjugatus accipit signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibilis in eis honorari, hinc in conjugio catholicorum insolubili, quam insolubilitatem inducit bonum Sacramenti, honoratur perennis, & perpetua conjunctio Christi cum Ecclesia. Sed memoratæ matrimonij insolubilitatis originem dat fusius Pars 2. à n. 41. Impræsentiarum.

36. Sciendum tamen, quod duplex in Matrimonio reperiatur conjunctio, & duplex itidem mors illi correspondens: una est conjunctio spiritualis per animorum consensum, quæ principiat Matrimonium carnale, altera conjunctio carnalis per conjunctionem sexuum, quæ consummat Matrimonium, & qualis est conjunctio, per talem quoque mortem solvitur: unde quamdiu est conjunctio spiritualis, solvitur per mortem spiritualem, quâ moritur homo mundo per ingressum Religionis approbatæ: postquam vero facta est conjunctio carnalis, solvitur per mortem Carnalem, *quod si dormierit vir eius, liberata est: cui valit, nubat.* Ratio autem

tem effectiva hujus indissolubilitatis est principaliter institutio divina : ordinavit enim DEUS , ut post mutuum contrahentium consensum maneat illud vinculum indissoluble per totam vitam conjugum sibi mutuo consentientium , *quos DELIS conjunxit homo non separat.* Secundarij verò ratio est dictamen legis naturæ : nam Matrimonium ex intentione legis naturæ ordinatur ad educationem prolis non tantum per aliquod tempus , sed per totam vitam prolis , unde de lege naturæ est , quod parentes filijs congregent , & filij sint parentum hæredes : & ideo cum proles sint commune uxoris , & viri bonum , oportet eorum societatem secundùm dictamen legis naturæ indivisam perpetuò manere . Ratio verò dispositiva est significatio ejus , quia significat unionem indissolubilem Christi , & Ecclesiæ .

37. Dices . Non videtur solvi Matrimoniū consummatum per carnalem mortem , quia dicitur ad Hæb . 11 . v . 35 . *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* R . Secundūm Glossam textum hunc non esse de conjugibus , sed de filijs peremptis , & occisis , ita ut sensus sit : *acceperunt de resurrectione* , id est , resuscitatos mortuos filios suos . Vel si de viris conjugatis intelligatur , tunc eos re ceperunt de novo consensu : licet enim re lu-

suscitatus homo sit idem numero homo non tamen per naturam, sed per miraculum.

38. Quæres. Qualiter constare debet de alterius conjugis obitu, ut superstes valeat secunda adire vota, seu aliud inire Matrimonium? circa hoc variae sunt juris dispositiones. *Jus Civile statuit: si mulier virum quinque annos absentem, & cuius vira dubitatur, expectet, possit alteri nubere L. uxori. ff. de divortijs.* Quod tempus postea est ad quadriennium restrictum. *Jus Canonicum cap. In præsentia. de sponsal. ordinavit, ut ob nullam absentiam, nisi mortis, licet alteri conjugum Matrimonium aliud inire: ratio est: quia ex longa conjugis absentia non resultat moralis certitudo de obitu, sed tantum dubium. atqui in dubio melior est conditio possidentis, nimirum prioris matrimonij. ergo. deinde abstinentia ab altero Matrimonio nullum imminet periculum, immineret autem contrahendo illud, nempe adulterij periculum.*

39. Porro de morte mariti certò constat, si per nuntium, aut testes probetur mors illius: ita habetur cap. cit. *In præsentia. ubi dicitur. Quid agendum de mulieribus, quæ viros suos ultra septennium prestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint de-*

diligentem : & pro juvenili etate , seu fragilitate Carnis nequeunt continere , petentes alijs Matrimonio copulari . Respondemus , quod quantumcumque annorum numero ita remaneant , viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium Canonice convolare : nec auctoritate Ecclesiae permittas contrebere , donec certum nuntium recipiant de morte virorum . Examen autem testis de morte conjugis arbitrio Judicis committitur , qui unus qualificatus sufficit , si non est suspectus .

40. Sed quid de fama dicendum , an sufficiat ? *sq.* solam minimè sufficere , nisi duobus testibus fide dignis , & omni exceptione majoribus adjuvetur . cap. licet. de Testibus , & Attestati : Concurrentia item causarum ; ratio nobilium , fidem facit , ut v. g. si is de cuius morte agitur , mare navigavit , subortaque tempestate oongruo tempore expectatus non compareat , nec navis , qua vehebatur : vel si prælium aggressus , & postea diligenter quæsitus non inveniatur . Ratio est : quia à probabilibus causis , & vehementibus indicijs fama suam trahit originem .

41. Dissolubilitas Matrimonij rati , seu conjunctionis spiritualis , de qua supra . n. 36. est ingressus Religionis approbatæ : qui an plenariè dissolvat ? nemo dubitat . Sed Re-

ligionis ingressus duplex est, unus ad probandum, & fit per vestium regularium assumptionem; alter ad permanendum, & fit per solemnem professionem, secundus non primus solvit Matrimonij rati vinculum, quia in secundo primò moritur mundo homo? unde in saeculo relictus tenetur eum expectare usque ad tempus professionis suæ, quod si remanens in saeculo ante professionem alterius contrahat cum alio, non tenet Matrimonium, & altero ante professionem redeunte, tenetur ad eum reddire, nisi ipsa v. g. remanens in saeculo uxor velit similiter intrare religionem. Verum, quia video aliam legem in membris repugnantem legi mentis, rarissime admittitur hujusmodi casus. Sed ex hac animorum variabilitate in electione statûs permanentis sequens formatur.

Controversia Prima. *Quid sentiendum de Sponsorum variabilitate?*

Species facti. Brunus expers fixi plenus volatilis Salis nunc cælibem, nunc conjugatam

tam eligendi vitam meditatur
anxious, placet casta, allicit po-
sterior: utramque, ut anhela-
bat, jungere obstat (ut reve-
ra implicat) statūs incompos-
sibilitas. **Quid agat?** consulit:
togatus suadet suam, sed mini-
mè damnat alteram: conjuga-
tus honorabilem deprædicat to-
rum, ast reticet perditum cæli-
batum. Resolvit Brunus am-
plectendum connubium: ce-
lebratis primis votis, & conclu-
so Matrimonio ante ejusdem
consummationem post familia-
re Theologi adloquiū de etiam-
num superstite tempore ample-
ctendi cælibem vitam ingredi-
tur post connubium cænobium.
Quæritur, An hic Bruni va-

riabilis animus laude vel virtu-
perio dignus?

42. Pro resolutione nota Constantiae elo-
gium, est stabilitas, & fortitudo animi, quæ
summè decet virum authenticum, atque ju-
stum, sicut enim Cypræssi columna recta
stat sub quocunque onere, sic vir perfectus
in quibuscunque fortunæ commutationibus
rectus, & inflexibilis esse debet, vel maxi-
mè in adversis, & prosperis. Hinc ab op-
polito

43. Inconstantia est varietas animi infis-
mi, & imbecillis in eo, qui in nullo propo-
sito bono perseverat, sed de uno ad aliud va-
riatur, similis marinis conchylibus, quæ se-
cundùm temporum varietatem variantur, ita
quod in uno tempore plena, in alio vacua
inveniuntur: & breviter, iste nunquam in eo-
dem statu permanet, sed variatur continuè, &
de conditione ad conditionem, de affectu ad
affectionem, de verbo ad verbum, de de-
siderio ad desiderium transit. Est & alia ho-
minis inconstantia fallax, fraudulenta, &
dolosa, qui scit variare mores, & verba, ut
valeat decipere innocentem. Hujusmodi
affectione notatur adulator, qui unum dicit
ante, & aliud retro: notatur falsus amicus,
qui unum fingit in verbo, & aliud habet in
animo:

unimo : Hypocrita , qui unum monstrat in apparentia , & aliud celat in conscientia , amat peccatum vestitum, odit nudum. Nunc

44. Deduco , & dico : laude dignam esse in statū electione Bruni variabilitatem, dum in meliore quiescit : nam multa probate, meliora tenete non vanè fert commune adagium : & si prudentis est mutare Confilium, laudabilis quoque erit nobilioris statū elec-
tio , cum homo ex natura sua tendat in melius. atqui post connubium honorifice & laudabiliter eligitur cœnobium. ergo Bruni variabilis animus tandem in cœnobia quiescens laude dignus est. Min. est universi Juris Canonici, & quod legi placet, haud nobis displicere dubet. Et quanquam hic animus inconstantiae nota videatur obfuscari ; sciendum tamen, dari quoque inconstantiam commendabilem, quæ est variabilitas hominis ad perfectionem tendentis. Universaliter pro hac, & simili controversia sub deducto sensu.

45. Nota. Morum Magistri Annæi Sene-
cæ. lib. 4. de Beneficijs pro variante animo approbatam commendationem. Non mu-
tat sapiens Confilium omnibus his manen-
tibus, quæ erant, cum fumeret : ideo nun-
quam illum poenitentia subit, quia nihil me-
ius illo tempore fieri potuit, quam quod
factum est, nihil melius constitui, quam
quod

quod constitutum est. Cæterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil incidet, quod impedit, ideo omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia præsumit animo, posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere, sapiens utramque partem ejus cogitat, scit quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quam multa consilijs obstant. Promisi tibi filiam in Matrimonium, postea peregrinus apparvisti, non est mihi cum extero connubium, eadem lex me defendit, quæ vetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantiæ crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum, alioquin quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat. Promisi me peregrè una exiturum, sed iter infestari latrocinij nuntiatur: omnia esse debent eadem, quæ fuerunt cum promitterem, ut promittentis fidem tenem: & ingenuè fatendum, superbæ stultitiæ hujusmodi perseverantia est, quod semel dixi, qualemque est, fixum ratumque sit.

46. Adducta inconstantiæ delineatio n.
43. vitabilis, & detestabilis est juxta D. Paulum ad Tit. 3. *Eramus & nos aliquando insi-*

pienses, & increduli, errantes, servientes de-
fiderijs, & voluptatibus variis. Et Hierem. 13.
Si mutare potest Aethiops pellem suam, & par-
tus varietates suas, sic & vos poteritis bonum fa-
cere, cum didiceritis malum. Sed relatum
casum similemque haud inficit, qui agit de
transitu ad meliorem conditionem.

APPENDIX de Tempore *Intra quod licet sit spon- sis de præsenti ante Matrimo- nium Consummatum ingredi Religionem.*

47. EX Jure Canonico datur bimestre sponsis ad deliberandum de ingressu Religionis cap. Ex publico. de conversio-
ne conjug. Cæterum quia licet à præfato viro
desponsata fuit, adhuc tamen (sicut afferit) ab
ipso est incognita: mandamus, quatenus si præ-
dictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, &
radem ad religionem transire, vel ad virum
suum redire intra duorum mensium spatium
debeat. & infra. Sanè quod Dominus in Evan-
gelio dicit, non licere viro nisi ob causam forni-
cationis uxorem suam dimittere, intelligendum
est secundum interpretationem sacri eloquij de
his, quorum Matrimonium carnali copula est
consummatum, sine qua consummari non potest.

Ad profitendum verò juxta Tridentin. Ses. 25. de Regularibus cap. 15. datur unus annus: unde si sponsa duodennis intraret Religionem, deberet sponsus expectare quadriennio usque ad decimum sextum annum completum, in quo profiteri licet. Quod si tamen Sponsus nimis differat Matrimoniu consummare vagando de una religione ad alteram intra novitiatū annum, tunc Ecclesiasticus Judex poterit illum compellere, vel ut maneat in una religione, & profiteatur, vel ut redeat ad Sponsam, & Matrimonium consummet. Ratio. Quia alias alter Sponsus grave pateretur præjudicium, & vexam, à qua authoritate judicis gravatus liberari potest.

48. Sed quid si neuter vellet intrare Religionem, teneanturne statim solemnizato in facie Ecclesiae Matrimonio debitum reddere, & consummare Matrimonium? videtur quod sic: quia per Matrimonium transfertur jus, & Dominium corporum ad invicem; nec voluntas ingrediendi Religionem adest. Mihi tamen probabilius videtur non teneri. Ratio. Quia habent in favorem sui cap. Ex publico. relatum: quod ad deliberandum Sponsis dat bimestre, & potest hæc deliberatio stare absque voluntate ingrediendi Religionem, coquod valeat intra illud

illud tempus adjuvante divinâ gratiâ proposatum in melius commutare, & fors ex post velle Religionem ingredi, licet ab initio nollet.

49. Quæres. An transacto bimestri, & Matrimonio nondum consummato liccat adhuc transire ad Religionem? videtur quod non: quia transacto illo bimestri tenentur vi contractis Matrimonialis sibi conjuges debitum reddere: & possunt ad id compelli. Probabilius tamen videtur oppositum, du modo non diu deferatur ille transitus ad Religionem cum præjudicio alterius Sponsi. Ratio. Quia licet conjuges peccent sibi debitum negantes, non tamen deperdunt jus ad ingressum Religionis, cum Christus Dominus absolute concederit hoc privilegium in favorem religiosæ professionis, ut semper dirimat Matrimonium solemnizatum, seu ratum.

50. Sed quid, si post elapsum bimestre à jure concessum, aut à Judice præscriptum conjugi Religionem ingredi volenti Sponsa per vim à Sponso carnaliter cognita an valeat Religionem ingredi? R. Neg. Ratio. Nam Sponsus cogendo Sponsam ad consummandum Matrimonium post elapsum vel à jure, vel à Judice tempus præfinitum utitur plenario jure suo, juxta quod authoritatem

exigendi debitum habet, neque Sponsa justè id ei denegare potest. atqui legitimè consummato Matrimonio non datur amplius transitus ad Religionem contradicente, aut nolente parte alterā. ergo violenta Matrimonij consummatio post elapsum tempus impedit transitum ad Religionem.

51. Neque hoc casu vi deflorando conjugem suam peccat lethaliter Sponsus, quando tentatis alijs modis pacificis nollet Sponsa Matrimonium ratum consummare: utitur enim Sponsus jure suo. Sed inattentatis præviè pacificis modis pro magnitudine, seu gravitate violentiæ peccaret Sponsus vi opprimendo Sponsam de præsenti: quia vis non debet inferri nisi prorsus repugnantib[us] etiam modis honestis, & pacificis: unde nunquam licet agit is, qui potens rem suam recuperare pacifice, vi extorquet.

52. Dices. Vi auferens rem suam præmissis modis ad recuperandum pacificis peccat, quando Judicis officium implorare neglit: ergo qui præmissis etiam modis pacificis violentat Sponsam de præsenti non implorato Judicis officio, peccabit. Respondeo cum Glossa. Jus, quod in Matrimonio fortius est, Sponsum redimit à peccato in casu nostro: hoc enim ratione subjectionis viro dat authoritatem manus in uxorem iniiciendi, & eam apprehendendi.

Con-

Controversia secunda.

*An intra bimestre vi illata
copula Matrimonium reddat
Consummatum?*

Species facti. Properabat Ligorius ad diu suspiratas nuptias cum finesia, fœmina modestiæ, & Castimoniæ virtute multùm nobili, quas celebrandi à finesia pro authoritate materna suadebat ejusdem finesiæ amata genitrix: dictum factum: post nuptias à sacerdote in facie Ecclesiæ benedictas, post epulas adornatur thalamus, sed hunc prima, tertia, quinta die ingredi recusat finesia, ac opportunè, & importunè urgenti Ligorio nupto Sponso audacter

pandit sinesia animum de mutando statu deliberantem , simulque adducit Jus Canonicum , quo sibi potestatem esse , non reddendi debitum intra bimestre . Ad hæc Ligoriūs inattento jure , & animo minatur violentiam , quam exquisitis a se medijs tandem intulit , ac vi oppressit sinesiam , ratumque Matrimonium violenter consummavit . Quærit a Theologo de præsenti Sponsa sinesia contra omne velle oppressa an hæc vi illata copula Matrimonium consummet taliter , ut ei non sit amplius copia Religionē ingrediendi , & Num Ligoriūs factā a sinesia professione liber evadat ad alia vota , seu nuptias legitimè convolandi ?

53. Primum, quod in adducta facti specie controversum putatur, mihi cum Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 22. n. 6. Fagnan. in cap. Ex publico. n. 78. Abbat. Pirhing. probabilius est, invito etiam Sponso posse Spōsam vi oppressam, & carnaliter cognitam à Sponso ante lapsum tempus bimestre Religionem ingredi, aut jam ingressam professionem emittere.

54. Ratio. Nemo per violentiam debet privari jure suo, atqui Sponsa de præsenti habet jus intra bimestre Religionē ingrediendi. ergo hoc jure per violentiam privari non debet Sponsa per injustam copulam, quam extorquendi modo violento intra bimestre nullum jus, nullamque facultatem habet Sponsus: neque hic, ut ex delicto suo referat commodum, permittitur; neque Sponsus delinquens per violentiam in extorta copula melioris debet esse conditionis, quam innocens, seu vim passa.

55. Confirmatur. Potest uxor virum deserere, Religionēque ingredi propter adulterium mariti, aut lapsum in hæresim. ergo eodem modo propter violentiam conjugi illatam intra bimestre quit Sponsa perpetuum divortium facere à viro, etiam ipso invito. Verum hanc resolutionem Fagnan. cit. limitat, nisi Sponsa nondum elapsso tempore bi-

mestri, vel alio arbitrario, non excipiat, se ad Religionem transire velle: sed si simpli- citer renuat Matrimonium consummare, vel aliam causam alleget, quam transitum ad Religionem v. g. quod nolit virginitatem perdere, tunc enim vir postquam adhibuit alia media ad obtainendum consensum Spon- fæ in copulam, potest sine peccato vim ei inferre: quia exceptio, quam quis habet, ei non prodest; si non opponatur, sed per- rinde est, ac si eam non habuisset, ac proin- de hoc casu non poterit talis coniux ingredi Religionem, vel in ea profiteri post Matri- monium taliter consummatum. Sed Sanchez cit. vigilantius pro jure per vim defloratae Sponsæ intra bimestre oppositum sentit, quod Sponsa, post consensum mutuum de præsenti, non teneatur ante elapsum bime- stre reddere debitum, etiamsi tunc non in- tendat ingredi Religionem.

56. Alterum Controversiæ quæsitum quod rarius, eò difficilius, num à sinesia facta pro- fessione in Religione approbata Ligoriū li- ber evadat ad alias convolandi nuptias? pen- det à communi illa difficultate, an intra bimestre vi illata copula Matrimonium red- dat consummatum? Pro negativa stant Hen- ricus cap. fin. n. 4. de Sponsa duorum. Ab- bas cap. 2. de Conversione. Conjugato. Syl- vester.

vester. Verb. Divortium. q. 5. Durand. 4. d.
27. q. 2. n. 14. Et in hujus Sententiæ gra-
tiam.

57. Argumentor primò. Copula habita à
Sponsis intuitu futuri Matrimonij ante Ma-
trimonium ratum non reddit Matrimonium
postmodum nec ratum, nec consummatum.
ergo neque copula vi illata, & habita post
Matrimonium ratum efficiet consummatum.
Antec. est certum. prob. conseq. Nunquam
illicitè passa copula id inducit, quod jura sub
plena libertate relinquunt. Sed jura intra
bimestre sub plena libertate conjugum con-
summationem Matrimonij relinquunt. ergo
copula illicita per vim illata non inducit Ma-
trimonium consummatum.

58. Argumentor secundò. Matrimonium
consummatum repræsentat divinam illam
unionem Christi cum Ecclesia, indeque suam
obtinet omnimodam indissolubilitatem. er-
go per eam solùm copulam Matrimonium
suam habebit indissolubilitatem, quod est
repræsentativum unionis Christi cum Eccle-
sia. atqui hujusmodi est Matrimonium con-
summatum per solam copulam voluntariam,
cum unio quoque Christi Domini volunta-
ria sit. ergo violentus concubitus non indu-
cit omnimodam indissolubilitatem.

59. Argumentor tertio. Jura semper sunt
pro.

proniora ad absolvendum quam ligandum.
ergo in proposito casu ab indissolubilitate
Matrimonij post emissam a Sponsa professio-
nem conformiter ad pronitatem jurum ab-
solvendus erit in saeculo relictus Sponsus.

60. Pro affirmativa stant Pirhing lib. 3.
Tit. 33. §. 11. Petrus de Led. de Mat. q. 81.
Vega. Lib. 2. Sum. Cas. 500. Victoria Sum.
de Matrim. n 255. Covar. 4. decret. 2. p. c.
7. §. 4. n. 10. Perez lib. 5. T. 15. Barbosa.
Sanchez , ac tenent tanquam certum , per
copulam intra bimestre vi extortam Matri-
monium consummari , & effici prorsus indis-
solubile.

61. Prob. primò. copula vi extorta , seu
illata juxta cap. Discretionem. De eò , qui
cognovit consanguineam, inducit perfectam
affinitatem, quia sic conjuges redduntur una
caro. atqui conjuges quando post Matri-
monium ratum efficiuntur una caro , cen-
sentur consummisse Matrimonium. ergo co-
pula iniqua , seu intra bimestre vi extorta
redit Matrimonium consummatum. Mi.
Prob. nam ad Matrimonij Consumptionem
non requiritur aliud , quam perfecta copu-
la. Nec obstat , quod eam , ut iniquam &
violentam , prohibeant jura : nam etiam di-
vina , naturalia , humanaque jura damnant
fornicariam copulam , et tamen commissa

approbant inde sequentem affinitatem. ergo quanquam jura abhorreant intra bimestre vi extortam copulam, non tamen reprobant affinitatem, & Matrimonij rati consummationem, quæ inevitabiliter sequitur ad perfectam copulam qualitercumque habitam post Matrimonium ratum.

62. Prob. secundò. Ex parte viri sicut liberè consummatum Matrimonium. ergo ex parte viri est omnino indissolubile, quamvis Sponsa profiteatur: & cum Matrimonij vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte Sponsæ. Conseq. patet, ni quis afferere vellet, posse aliquem ex delicto commodum reportare: nam ad indissolubilitatem Matrimonij certè aliud non requiritur, quam utriusque Sponsi mutuus consensus in Matrimonium ratum, & libera ejusdem per copulam consummatio. atqui ex parte viri utrumque habetur. ergo ex parte illius erit Matrimonium indissolubile, & consummatum

63. Prob. tertio. Quæcumque constitutio Matrimonij vinculum dissolvens odiosa cenletur, coquod Matrimonium sit favorable cap. fin. de Senten. & re judi. duobus judicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus, si ex jurisdictione ordinaria processerunt, iacet pro reo, non pro auctore Sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio. ergo

ergo minimè est extendenda sed restringenda , ut intelligatur solū de Matrimonio , quod nullā prorsus copulā afferitur consummatum.

64. Ad argumenta opposita respondeo ad primum : Con. Antec. Neg. Conseq. siquidem Matrimonium ratum , & in esse Sacramenti perfectum dat Sponsis jus proximum ad consummationem ejusdem, quod ad tempus Canones restringunt , ne absque utriusque consensu executioni mandetur , mandatum tamen quomodo cunque nullibi Jus Canonicum pronuntiat Matrimonium non consummatum, benè verò contradicente etiam Sponsa ad copulam intra bimestre pronuntiat veram affinitatem cap. discretionem, quæ antecedenter stante Matrimonio rato non resultabat. Hinc paritas de copula fornacaria ad alteram post ratum Matrimonium habitam nulla est , nam prima prorsus iniqua est , quia sine omni jure , & solū ex damnata libidine , & perversa libertate actitata: altera autem pro se habet jus proximum , quanquam aliquomodo restrictum.

65. Ad secundū dico cum Sanchez , adhuc hoc modo consummatum Matrimonium repræsentare unionem Christi cum Ecclesia quo ad substantiam , nam fiunt conjuges Corpus , & Caro una , quemadmodum Christus

stus per Carnem est unius Ecclesiæ, quamquam non quo ad modum, posterior enim, nimirum Christi cum Ecclesia, unio spontanea est, illa autem violenta.

66. Ad tertium respondeo cum distinctione: jura priora esse ad absolvendum in odiosis con. in favorabilibus Neg. sed Matrimonio rato, & aliquomodo consuñato favorabilior est indissolubilitas, quia hæc aliquantisper dignoscitur esse de ejus Essentia. ergo ab hac Sponsus minimè erit absolvendus.

67. Deduco, & dico. Quod Matrimonium ratum per copulam violenter, & iniquè extortam intra bimestre, vel aliud à Judice præscriptum tempus reddatur consummatum, & indissoluble; neque amplius facta professione à Sponsa Sponso ante mortem professæ conjugis liberum est alios ineundi amplexus, seu nuptias: atque sibi Sponsus potissimum adscribat, dum voluntariè Sponsam oppressit, ex quali iniuritate nullum à Theologo meretur reportare commodum.



Con-

Controversia tertia.

Utrum Matrimonium ratum per Sacri Ordinis Susceptionem dissolvatur?

Species facti. Franus vir Catholicus adamata ob animi candorem Abaca cum ea celebrat Matrimonium ratum , ante ejusdem consummationem ad altiorem statum allectus decernit ire longius, atque constitutus in aliena patria ignorante Sponsâ de præsenti, inscio quoque Reverendissimo, & Illusterrissimo Ordinatore suscipit facros Ordines, & creatur Sacerdos Altissimi. Quæritur. An hic susceptus ordo faciat Matrimonium alioquin ratum dissolvat?

68. Ut breviter hanc Controversiam absque fusori concertatione terminem , Dico ex definitione Ecclesiæ factâ à Joanne XXII. cap. Antiquæ Tit. De voto , & voti redemp. Non dissolvi. Definitionis ténor sic sonat.
" Antiquæ concertationi finem cupientes
" imponere, ac animarum periculis inde pro-
" venientibus salubriter providere, de Fra-
" trium nostrorum consilio præsenti declara-
" mus edicto, quod licet votum soleñizatum
" per sacri susceptionem Ordinis quantùm
" ad impediendum matrimonium contra-
" hendum, ac ad dirimendum, si post con-
" tractum fuerit, secundùm statuta canonum
" sit efficax reputandum : ad dissolvendum
" tamen prius contractum, etiamsi per car-
" nis copulam non fuerit consummatum,
" cum nec jure divino, nec per sacros re-
" periamus canones hoc statutum, invali-
" dum est censendum: autoritate aposto-
" lica districtius inhibentes, ne quispiam du-
" rante matrimonio nondum etiam consum-
" mato, aliquem de sacris ordinibus præsu-
" mat suscipere, nisi prout sacris canonibus
" noverit convenire. Quod si securus à quo-
" quam forsitan attentatū fuerit, ordinamus
" quod nec matrimonio soluto in sic susce-
" pto ordine ministrare , nec ad superiores
" ordines provehi,nec ad aliquod beneficiū.

" vel officium ecclesiasticum valeat promoto
 " veri, nisi aliquam de Religionibus appro-
 " batis (quarum professio ad castitatis custo-
 " diam, & abdicationem temporalium, &
 " sui superioris obedientiam adstringat) ip-
 " sum canonice contigerit ingredi, ac ejus
 " regulam expressè vel tacite profiteri: quo
 " casu dicecesanus super præmissis, & singu-
 " lis præmissorum cum eo dispensare valeat,
 " nisi sit aliud canonicum, quod obsistat. Ad
 " ingressum hujusmodi sic ordinatum, si ma-
 " trimonium consummatum non fuerit, per
 " Dicecesanum instanter moneri præcipi-
 " mus, & induci: quodsi forsitan renuerit ad-
 " implere, si Sponsa ejus institerit, per cen-
 " suram ecclesiasticam compellendum de-
 " cernimus contractum matrimonium con-
 " summare. Nulli, &c. Datum Avinione Ca-
 " lend. Decemb. Anno septimo.

69. Deinde in universo Jure Canonico non invenitur matrimonium antea legitime contractum per subsequentem ordinum sa-
 crorum susceptionem irritari, sicut inveni-
 tur de voto solemnis in Religione approbata
 castitatis. Atque haec est differentia inter sa-
 croes Ordines, & votum solemnē: quod vo-
 tum dirimat matrimonium etiam antece-
 dens ratum quo ad vinculum, non verò sic
 dirimunt sacri Ordines, nisi tantum matri-
 monium subsequens.

70. Sed cur Sancta Mater Ecclesia ordinare voluerit, ut votum solemne Religionis dirimat matrimonium ratum etiam antecedenter contractum? ratio est privilegium per ipsum Christum ad Ecclesiam derivatum: congruentia verò, quia per professionem Religiosam censetur fieri perfectissima sui ad DEI obsequium traditio, ideoque dicitur hoc votum Religionis mors quædam civilis, nova regeneratio, novumque ac spirituale matrimonium, cui proinde de jure alterum secundum carnem initum cedere debet: per susceptionem autem factorum Ordinum non fit tam perfecta sui ipsius traditio, nec dicitur homo ordinatus mundo civiliter mortuus.

71. Hinc absque uxoris licentia, aut cum uxoris licentia, sed metu in virum constanter cadente, vel dolo gravi extorta vir facris iniciatus ad quamcunque ecclesiasticæ Hyerarchiæ dignitatē promotus, pleno jure ab uxore revocari potest: siquidem ut uxor naturali jure sibi per matrimonium ratum attributo privanda veniat, requiritur ejus per omnia liber consensus.

72. Intricata magis asseritur à Doctoribus communis illa quæstio, quando spontanea uxoris dissimulatio intercedit, quæ gnara promotionis viri ad facros ordines, ac potens commodè reclamare, nec consensum, nec

dissensum exhibet, sed dissimulando tacet. Pro hac contra multos affero, nullum ex hac dissimulatione uxori generari præjudicium, sed jus revocandi maritum ordinatum sibi integrum manere: constat ex cap. consuluit. de Conversion. Conjug. quod decidit solam uxoris dissimulationem non esse licentiam, neque iura in adeò arduo negotio solâ dissimulatione contenta sunt: at qui defectu spontaneæ licentiæ ex parte uxoris maritus in quounque statu constitutus sub potestate suæ conjugis est, *Vir sui corporis potestatem non habet sed mulier ad Corinth. 7. v. 4.* ergo non obstante dissimulatione mulieris, quæ signum apertæ licentiæ non est, manet uxori jus liberum revocandi maritum, ut cohabitetur, ratumque matrimonium reddat consummatum.

§. V.

De dignitate Sacramenti Matrimonij, & gravitate Adulterij.

73. **T**RIDENTINUM SESS. 7. CAN. 3. DEFINIT.
Sacramenta novæ legis inter se non esse paria, sed aliud alio dignius: hinc si respiciatur prioritatis, & necessitatis ordo, primum locum sibi vendicat baptismus, qui

est aliorum sacramentorum janua, quod suo modo de relapsis etiam de sacramento Pœnitentiæ dicendum est: si verò spectetur ordo perfectionis, & eminentiæ, sic primus locus debetur Sacramento Eucharistiæ, quia continet Christum veræ sanctitatis Authorem: atque in ratione signi practici inter omnia sacramenta infimum tenet locum sacramentum matrimonij, quia de ratione vitaे spiritualis minus participat, ad quam sacramenta ordinantur: attamen in ratione signi speculativi, & ut sacrarum rerum symbolum, præter Eucharistiæ Sacmentum, alia superare videtur significatione triplici, quia præcipua Religionis catholicæ repræsentat mysteria; signat enim unionem Verbi Divini ad hominem, conjunctionem Christi cum Ecclesia, & castissimum, simul & sanctissimum fœdus DEI cum anima, quam Osee. 2. in via sibi desponsat per fidem, & in patria copulat pervisionem beatam, *Sponsabo te mihi in fide,* & *sponsabo te mibi in sempiternum.* Voluit hanc dignitatem Christus sacramento matrimonij, tum ut excellentia sacramenti, & mysterij damna, quæ contractus matrimonij affert, compensaret: tum quia matrimonij usus, cum maximè dejiciat hominum mentes ratione carnalis copulae, quæ, ut supra dictum est, rationem absorbet, hominem bruta-

tis pecudib[us]que similem efficit, elevare se possent homines conjugati ad contemplanda præcipua fidei nostræ mysteria, quæ per matrimonium catholicum repræsentantur, & exhibentur in eum finem, ut homo Christianus ex rei materialis impuritate valeat per contemplationem puro angelico spiritui assimilari, & quod sibi proprium est, ad superna elevari.

74. Adulterium ex cap. ult. caus. 32. q. 6. est alieni tori violatio: atque tribus modis committitur. Primo, si vir conjugatus cognoscat completem carnaliter mulierem a legi viri solutam, & tunc est adulterium simplex, ex parte viri tantum. Secundo, si vir solitus carnaliter cognoscat foeminam conjugatam, atque iterum hoc adulterium est simplex, ex parte foeminæ tantum. Tertio, si vir conjugatus ad foeminam similiter conjugatam accedat per carnalem completam copulam, & hoc est adulterium duplex, ex parte utriusque tam viri quam foeminæ.

75. Sed quam [grave] sit adulterij crimen, casti norunt, quippe cum tria pretiosissima matrimonij bona penitus destruat, eisque adversatur extremè: violat namque fidem conjugij, tollit certitudinem prolis, & sacramenti mysticam significationem, cum dividat carnem in plures, & membra Christi faciat membra

bra meretricis : peccat itaque Adulter non solum contra temperantiae virtutem , sed etiam contra virtutes iustitiae , & Religionis, atque tripliciter horribilem inducit deformitatem , quam D. Chrysoſtm. comparat idolatriæ hom. 62. in Joan. D. Paulus violacionem conjugij per adulterium amplioris gravitatis monſtrum agnoscit , dum virum infidelis uxori cohabitare ſinit , Adulterum vero dimittendi plenariam copiam facit . Item Nicolaus Papa I. Epift. 49. ad consulta Bulgarorum cap. 51. circa finem adulterium homicidio comparans , illud gravius longe ſentit , verba ejus ſunt . Denique hoc tam inane ſcelus eft , ut homicidij quidem peccatum , quod Cain in Abel fratrem ſuum commifit , ſeptima generatione cataclismo vindicatum fuerit , adulterij autem flagitium , quod Lamech omnium pri- mus in duabus uxoribus perpetravit , non niſi ſanguine Christi abolidum extiterit , qui ſeptima , & ſeptuagesima generatione secundum Evangelium luxerit in mundum .

76. Nota. Jurium civilis , & Canonici differentias circa Adulterium : quamvis enim adulterium propriè dictum ex parte viri ſit , quando alienū torum violat , licet ipfe ſolutus ſit , & non conjugatus , & ex parte mulieris , quando ipsa violat proprium thorum etiamsi adulter non ſit conjugatus : ſi tamē vir conju-

gatus concubat cum soluta, tunc de jure civili nec ex parte viri, neque ex parte mulieris dicitur, vel censetur adulterium, neque poenae in adulteros decretæ locum habent, ut ex communi sententia docet Charus I. 5. sentent. s. adulteri. Ratio. Quia in adulterio commisso cum foemina conjugata sive à soluto, sive à conjugato, confunditur semen adulterinum cum maritali, & ex eo nascitur proles incerta, cum ipsa nesciat, an ex marito, an verò ex adultero conceperit. At verò de jure canonico, si vir torum, & fidem conjugalem violat, accedendo aliam etiam solutam, adulterium verè, & propriè commissum docet cap. nemo. 4. xxxii. q. 4. *Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. Omne superum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterij crimine damnatur.* Ex his

77. Deducitur primò. Adulterium committitur, quando carnale commercium habetur cum sponsa aliena de præsenti ducta, & nondum à viro suo cognita, sit vir cum tali peccans sive solitus, sive conjugatus: quia sponsalia per verba de præsenti contracta sunt verum matrimonium ratum, nuptias enim, ut habet regula juris, non carnalis concubitus sed mutuus consensus facit.

78. Deducitur secundò. Non committitur adulterium cum sponsa de futuro. Ratio. Adulterium est alieni tori violatio, & adulter dicitur alienæ matrisfamilias corruptor. at qui concubitus cum aliena sponsa de futuro non violat torum alterius, cum sponsus legitimus ante mutuum consensum conjugalem non habeat jus accedendi sponsam de futuro. ergo peccatum carnis cum sponsa de futuro non est adulterium. Et quanquam per sp̄salia de futuro sponsis jus acquiratur, hoc tamen non inducit adulterium in alio cognoscente sponsam, quia hoc jus destrui potest per matrimonium sponsæ cum alio contractum, aut alijs modis impediri: ne etiam sponsa de futuro potest dici aliena matrisfamilias.

79. Deducitur tertio. Faltam esse eorum sententiam, qui asserunt, copulam cum conjugata non esse adulterium, si maritus consentiat: adulterium namque, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum torum, unde sola tori alienitas attendenda est, quandò de adulterio movetur quæstio. at qui maritus suo consensu efficere non potest, ut suus alioquin torus non fiat alienus comparatione cujusvis tertij. ergo suo consensu efficere nequit, ut accessus cujusvis tertij ad suam conjugem non sit adul-

terium. Deinde, quamvis talis concubitus non sit injuriosus marito volenti, & contenti, est tamen injuriosus proli, quæ incerta redditur ex parte patris; & sacramento, cuius sanctitas violatur, & significatio sacra destruitur per divisionem carnis conjugalis in plures. Hinc eodem prorsus rigore jus canonicum castigat uxores adulterantes consentientibus maritis, ac ijs ignorantibus, & non consentientibus, patet ex Concil. Illiberitano cap. 20. Si conscientia marito, & conscientie fuerit uxor mæchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem.

80. Deducitur quartò. Errorēm Gnosticorum esse impurissimum, & insanissimum, qui teste Epiphanio Hæresi. 26. Sic sonat, *Larga* (inquit) & oppipara edulia, carnis esum, & vini potum apponunt, etiam si pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotaverint, & venas facietate impleverint, ad astrum se convertunt, & vir quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam, surge, & fac dilectionem cum fratre. Atque hunc errorem licere graves viri Cato, & Socrates suo exemplo comprobarunt pessimè. Catonem enim, uxorem suam Martiam Hortensi domum filijs impleturam tradidisse, refert Augustinus l. de bono conjug. c. 18. Et l. de fide, & operi. c. 7. Socratem, uxorem suam, tanquam

quam armenti matricem, amico suo ad propagandam sobolem tradidisse scribit. Utrumque deridet Tertulianus in Apologetico c. 39.
O Sapientia Attica, & Romana gravitatis exemplum! leno est Philosophus, & Cens̄or.

81. Deducitur quinto. Peccat mortaliter is, qui cognoscendo uxorem, non intendit aliquod bonum matrimonij ita nimis, ut aliquis in conjuge non attendat, quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux: audiunt hac norma lascivientes illud Tobiae 6.
Hic namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut DEUM a se, & a sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut oquum, & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dominium super eos: & propterea plurimorum connubia plena sunt misericordum.



Con-

Controversia Prima.

*Num absens, & dormiens
Sacramentum Matrimonij va-
leat confidere? Eiusque rem, seu
gratiam recipere?*

Species facti. Meurisses illu-
strissimæ prosapiæ surculus
nubit Ludmillæ pari nobilitate
ornatæ, actuque cum omnibus
à jure, & Ss. Tridentino Conci-
lio requifitis per Procuratorem
suum celebrat sanctum matri-
monium. Sed dum procura-
tor vices sui principalis agit ex-
hibendo consenſum in præsen-
tem nobilissimam sponsam, ac-
cidit, ut Meurisses sponsus ab-
ſens illa ipſa hora, quâ contra-
et us

Etus matrimonialis per procuratorem solemnizabatur, ex veneratione fessus altum dormiret. Non contemnenda erit controversia, num absens & dormiens confidere sacramentum matrimonij, ejusque gratiam sacramentalem valeat suscipere.

82. Ante resolutionem verum est, quod in Ecclesia catholica possint celebrari matrimonia per Procuratorem, quin immo & per epistolam, veluti si in litteris quis scribat, se non tantum de praesenti consentire v.g. in Silviam tanquam in uxorem veram & legitimam, sed etiam vicissim ipsius consentium ex nunc acceptare eo ipso tempore, quem elicit, seu praestabat Silvia, lecta tali epistola coram Parocho, & testibus, & Silvia consentiente coram iisdem erit verum matrimonium, cum ad illud omnia requisita adsint. Ratio prioris est praxis plurima. Deinde Procuratores locum principalium personarum tenent, habentque (ut suppono) plenariam contrahendi potestatem. ergo quidquid ipsi faciunt, id ipsum principales personæ facere cen-

censentur, quarum procuratores humanum & morale instrumentum dicuntur & sunt; unde sicut ex mutuo utriusque principalis personæ consensu resultat perfectus matrimonij consensus, ita pariter resultare debet ex consensu ~~mutuo~~ procuratorum: hinc in cap. fin, de Procurato. in 6. & l. sufficit. l. fin. ff. deffoz, definitur, inter absentes & quæ ac inter præsentes matrimonium posse contrahi. Neque hoc jus per decretum Tridentini damnantis, & irritantis clandestina matrimonia correctum est: laudatum enim decretum rescindit eos solummodo matrimonij contractus, qui aguntur absque testibus, absque Parocho: contractus verò matrimoniales per procuratorem actitati, & coram testibus, & Parocho instituuntur. Nunc ad controversiam, in qua

83. Negativam tenent Durandus 4. d. 26. q. 3. Cajetan. T. 1. opuscul. t. 12. de contract. matrim. q. 2. Can. L. 8. de Locis Theolog. c. 5. Viæt. sum. de matrim. n. 244. & pro ea Argumentor primò. Alia Sacra menta ab absente, à dormiente nequeunt confici & suscipi. atqui matrimonium itidem est sacramentum legis gratiæ. Ergo hoc à dormiente ab absente nequit ritè confici: par enim esse debet conditio & ratio matrimonij ac aliorum sanctæ & universalis Romanæ Ecclesiæ

sic Sacramentorum. Confirmatur. Ideo baptismus nequit absenti conferri, quia verba *baptizo Te* immediatè reguntur, & diriguntur ad individuum præfens. atqui verba contrahentium, quibus internum velle exprimunt, & pandunt, *nimirum accipio Te in meum. Et meam*, etiam diriguntur ad individua præfentia. ergo utrobique eadem paritas.

84. Argumentor secundò. Dormiens nequè meretur, nequè peccat. ergo dormiens nequè celebrare matrimonium in ratione sacramenti, nequè fulciperem rem sacramenti nimirum gratiam sanctificantem & matrimonialem valet. Antec. patet, nam meritum, quam demeritum necessariò supponere debet actum humanum moraliter bonum, aut malum. sed hunc, ut eliciat dormiens, impotens est, cum fieri debeat per rationem liberè, in dormiente autem nedum libertas sed & rationale sumpitum est. Ergo.

85. Argumentor tertio. Ad legitimam aliquius sacramenti confectionem requiritur necessariò vel ut conditio sine quâ non, vel ut pars essentialis intentio virtualis, aut actualis, habitualis, & interpretativa nullo modo sufficit. atqui dormiens nec virtualem minus actualem intentionem elicere valet. ergo dormiens nullum sacramentum confidere potest.

86. Argumentor quartò. Nam Doctores oppositæ sententiæ & laudant, & suadent renovandum, & renovatum postea in præsentia consensum: quod si tamen matrimonium per procuratorem dormiente principali celebratum legitimum fuisset sacramentum, invanum esset iterare consensum manente veteri materiâ veterique formâ in nullo vitiata aut diminutâ. ergo.

87. Affirmativam saniori sensu tuentur plurimi Theologi & Canonistæ. Sotus 4. d. 27. q. 2. art. 3. ver. at verò. Bellarm. l. 1. de matrim. c. 5. in soluti. ad 2. & cap. 7. & 8. Enriquez vocat oppositam sententiam falsam l. 12. de matrini. cap. 2. n. 2. Perez. Petrus de Ledesma. Vega. Corduba. l. 1. qq. q. 25. Pirhing, & pro ea Argumentor primò. Qui prius baptizari petiit, & voluit, si dormiens baptizetur, verum recipit baptismus: similiiter baptismus tempore furiae suscepitus desideratus ante furiam validus est cap. maiores. debapt. in fine sic definiente: dormientes autem, & amentes . . . si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositorum baptizandi, unde tales in necessitatibus articulo consuevit ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimis operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obfidentem. Ergo similiter si missio Procuratore dans man-

datum

datum in somnum incidat, dum procurator nomine suo contrahit, valere matrimonium. Subs. atque matrimonium validum præciso peccati lethalis obice causat gratiam. ergo dormiens & matrimonium conficere, & rem sacramenti suscipere valet.

88. Argumentor secundò ex praxi totius Ecclesiæ: passim enim post Tridentinum celebrantur matrimonia per procuratores somno aliisque indulgentibus principalibus, esfetque in Ecclesia error intolerabilis tot matrimonia irrita censere. ergo matrimonium à dormiente per procuratorem initum per omnia positis requisitis de jure legitimum est. Unde Tridentinum irritat clandestina matrimonia, quæ semper Ecclesia DEI abhorruit, & punivit, ut constat ex Decreto Trident. Sed Ecclesia nunquam censuit clandestinum, nec puniyit matrimonium per procuratorem contractum publicè non obstante somno aut alijs distractionibus mittentis procuratorem, imò illud approbavit cap. fin. de Procur. in 6. Ergo cum Tridentinum non irritat hujusmodi matrimonium, legitimum censetur.

89. Imò si quis mandatum dedit, sed consensum finxit, tempore tamen, quo procurator ejus nomine contrahit, habet verum & sincerum consensum, valet matrimonium, quia pro illo tempore, in quo sacramentum

E *tempore* con-

conficitur, adest consensus, qualis pro tali tempore desideratur. Unde sit quocunque intermedio tempore dissensus, nil refert, dummodo adsit consensus tempore, quo celebratur matrimonium. Eniq. l. 11. matrim. cap. 1. n. 2. Sanchez.

90. Ad argumentum primum oppositæ sententiæ r. Neg. maj. quia etiam alia sacramenta ut baptismus, Pœnitentia, & Absolution, ac etiam Extrema Unctio possunt recipi à dormiente, quia ea vigilans desideravit. Vel aliter, si liber Neg. conseq. disparitas est: in alijs siquidem sacramentis ex voluntate instiuentis actio omnino personalis est, ita, ut nullatenus per substitutum valeat exerceri: secùs autem in matrimonio, quod aliorum contractuum naturam sapit, & sequitur, quare actio personalis in ipso non est omnino personalis, nisi in hoc sensu, ut nulla alia persona præter contrahentes per internuntium verè conficiat, & in se recipiat sacramentum.

91. Ad confirmationem Neg. iterum paritatem, quia verba *baptizo Te* sunt verba præcisa, & de necessitate sacramenti, & hinc oportet, ut designent individuum præsens; matrimonium autem potest per quæcunque verba, vel signa internum consensum explicantia contrahi, ideoque non requiruntur adeò præcisa, ut dirigantur ad individuum præsens localiter.

92. Ad

92. Ad secundum dico, non esse inconveniens dormientem lethaliter delinquere, aut gratiam recipere ratione consensus in vigilia habiti, atque ita dormiens potest mereri, & peccare per verum actum moralem ante somnum elicitum, ut contingit in eo, qui volens martyrium subire dormiens a Tyranno occiditur, permanet namque habitualiter prompta voluntas, non retractata per somnum. Et fateor teneri Principalem esse in gratia sub culpa mortali tempore, quo Procurator contrahit nomine ipsius, quia tunc recipit verum sacramentum.

93. Ad tertium r. non sufficere, conclusum est ab universa Theologia, intentionem habitualem, aut interpretativam, excepto matrimonio in quibusdam casibus. Imprimis intentionem habitualem ex una parte contrahentium sufficere certum est in casu, quo matrimonium contrahitur per procuratorem, vel internuntium: eo enim tempore, quo altera pars cum procuratore consentit, altera pars principalis conficit, & suscipit sacramentum sola intentione habituali etiam dormiens, vel tunc nihil cogitans de sacramento, sed consensum actualem tunc supplente procuratore. Deinde multorum Doctorum, & propè communior est sententia, matrimonium conditionatum, scilicet contractum

tractum sub conditione suspensiva de futuro, impleta ea conditione perfici absque novo consensu absoluto, primo consensu habitualiter solum permanente, licet usque dnm cognoscatur conditio impleta, matrimonio uti non possint. Ratio est, quia Christus Dominus matrimonij contractum elevans ad dignitatem saeramenti quo ad essentialia contractus nil immutavit, atqui contractus sola intentione habituali essentialiter perficitur. ergo.

94. Ad quartum. Merito laudantur contrahentes per Procuratorem, si postmodum ipsimet iterum matrimonium renouando consensum ineant tum ad tollendos scrupulos, tum ad supplendum priorem ex alia causa fors defectuosum consensum: quia quamvis cætera sacramenta nequeant repetiri manente eadem materiâ, & formâ, hoc autem in matrimonio speciale est, cum sit contractus, ejusque naturam, & conditiones retineat, potest ea parte, quâ contractus est, cæterorum more sœpius iterari. Ex his

95. Deduco, & pronuntio Matrimonium à Meurisse per procuratorem celebratum cum Ludmilla validum, legitimum, ac indissolubile, & non obstante alto sopore, qualis eo tempore corruptus, quo Procurator celebrabat matrimonium, ex meritis Christi

obtinuit feliciter sublato peccati mortalis obice gratiam sanctificantem & matrimonialem.

96. Sed pro exacta praesentis controversiae discussione incidenter nota. Contractus omnes, qui consensu perficiuntur, seu peraguntur, possunt inter absentes contrahi L. i. *in fine ff. de contrah. emp.* adeoque etiam per alium, seu procuratorem, qui cum sit quasi minister, & domini instrumentum, ipse dominus per illum consentire censetur, & dicitur per *reg. juris.* 72. *in 6.* qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. Requiritur autem, ut procurator habeat speciale mandatum ad ineundum, & contrahendum matrimonium, siquidem causa matrimonij ardua censetur propter periculum facilé inde resultans, si minus provide contrahatur: nec sufficit mandatum generale, in quo expressis quibusdam particularibus, & specialibus addatur clausula generalis: & *alia omnia,* quia illa comprehendit solum specialia similia non autem majora expressis, cuiusmodi est causa matrimonialis *Gloss.* hic v. speciale. Praetera requiritur, ut in mandato exprimatur certa ac determinata persona, cum qua matrimonium contrahendum est, v. g. constituo Julium Procuratorem meum ad contrahendum matrimonium meo nomine cum Ludmilla, nec sufficit generaliter ad contra-

hendum cum quacunque, quia juxta l. gene-
rale. 34. ff. de ritu Nupt. generale mandatum in
nuptijs non sufficit, nisi mandatis ratibabitio
sequatur: ratio est, quia ad substantiam ma-
trimonij requiritur, ut contrahentes in cer-
tam & determinatam personam mutuo con-
veniant consentiantue.

97. Requiritur secundò. Quod quamvis
Procurator ad negotia constitutus liberè
possit alium procuratorem denominare, &
substituere: in casu tamen matrimoniali non
potest alium deputare, nisi expressè in man-
dato id contineatur cap. procurator. Ratio est,
quia in causis & negotijs gravibus, & arduis
censetur electa fides, & industria personæ, &
ideo negotium alteri committi non potest. Te-
netur ergo per se mandatum exequi

98. Requiritur tertiod. Ut Procurator ad
matrimonium contrahendum constitutus
interposita à Domino revocatione mandati,
etiam à procuratore ignorata, illud non va-
leat contrahere, quod est speciale in procura-
tore dato ad contrahendum matrimonium,
cum alias regulariter non valeat revocatio
procuratoris ad negotia, nisi pervenerit ad
notitiam ejusdem: ratio petitur ex jure ca-
nonico: quia in alijs contractibus jus potest
supplere defectum consensū contrahen-
tium, & sine consensu illorum dominium re-

rum, vel jura transferre; at verò ad essentiam & substantiam matrimonij contrahendi requiritur verus & formalis consensus mutuus contrahentium, qui per jus positivum suppleri nequit, utpote minorem authoritatem respective ad authoritatem Institutentis Christi Divini Legislatoris. ergo si hic deficiat ex parte unius principalis contrahentis propter revocationem mandati procuratorij, non potest matrimonium à procuratore revocato contractum esse validum. Imò apposito etiam juramento à Principali de non retractando mandato Procuratori dato ad contrahendum, postea tamen revocato, non obstante juramento tenet revocatio, & matrimonium defectu consensūs à Procuratore contractum nullum est, quamvis revocans perjurus fiat, & puniri debeat.

Controversia II.

De alienâ violentiæ libidine, quam in oppresso corpore mens invita patitur.

Species facti ex D. Augustino
L. i. de Civit. cap. 19. Lucre-

tiam matronam nobilem veteremque Romanam pudicitiae magnis efferunt laudibus. Hujus corpore cum violenter oppresso Tarquinij Regis filius libidinosè potitus esset, illa scelus improbissimi juvenis Marito Collatino, & propinquo Bruto, viris clarissimis, & fortissimis indicavit, eosque ad vindictam constrinxit. Deinde fœdi sceleris in se commissi ægra atque impatiens se peremit. *Quæritur. Adultera hæc, an casta, judicanda?*

99. Anteresolutionem sciendum. Quod pudicitia sit animi virtus, comitemque habeat fortitudinem, quam potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire decernit: nullus autem aut fortis aut magnanimus in sua potestate habet, quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente, vel renuat.

100. Di-

100. Dico. Nobis in hoc tam nobilis fœminæ hujus exemplo castitatem esse laudandum, quæ se nullo adulterino maculavit consensu: si enim vi & violentiâ perit conjugalis pudicitia, profectò pudicitia virtus animi non erit, nec ad ea pertinebit bona, quibus bend vivitur, sed portiès numerabitur in bonis corporis, qualia sunt vires, opes, pulchritudo, sana integrâque valetudo. atqui inter hæc bona nullatenus collocanda est pudicitia, pro qua, ne amittatur, etiam cum periculo corporis laboratur, ut facti species docet. ergo pudicitia animi bonum est, quod etiam vi oppresso corpore non amittitur. Hinc permanente animi proposito, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori auffert sanctitatem violentia alienæ libidinis, quam servat perseverantia continentiae.

101. Deinde citatus S. Doctor controversiam laudatè concludit. *Egregiè quidam ex hoc veraciterque declamans ait: mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium unius admisit. Splendide atque verissime, intuens enim in duorum corporum commixtione unius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimam voluntatem, & non quid conjunctione membrorum, sed quid animorum diversitate ageretur, attendens, duo inquit, fuerunt, & adulterium unius admisit.*

102. Instabis. Vi, aut fraude rupto virginali claustro amittitur in virgine gloria puritatis, & castitatis integræ. ergo similiter aliena violentiæ libido in oppresso corpore destruit integrum matrimonij castitatem. Respondeo Neg. utramque positionem: pro integrâ in prima positione castitate perorat illud S. Luciæ Virginis, & Martyris ad Pascha-sium divinitus inditum documentum: *si invitam jussi violari, castitas mibi duplicabitur ad coronam*, hoc ipsum firmat easu, & egregia resolutione Magnus Hipponeñsis Præful I. i. de civit. cap. 18. *Obstetrix virginis cujusdam integratatem manu velut explorans, sive malevolentia, si insciitia. frue easu, dum inspicit, perdidit.* Non opinor quenquam tam stulte sapere, ut huic periisse aliquid existimet de ipsius corporis sanctitate.

103. Instabis secundò. Sponsa de futuro, quæ vi opprimitur, legitimè rejicitur à sposo, ne ejus maritali amplexu veniat fruenda, docet cap. Raptor. cav. xxvii. q. 2. Raptor penitentia publicâ mulctetur. Raptæ vero, si eam sponsum accipere noluerit, & ipsa eidem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur. ergo aliena violentiæ libido inficit sponsam. Neg. conseq. non enim amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate etiam corpore oppresso. Sed quod

quod jura libertatem sponso post raptam sponsam, etiam in vitam, faveant, procedit ad maturem consulendum amori mutuo, suum sponsus carnalibus immersus desiderijs in casu commissi raptus ab alieno proco in sponsam minimè reflecteret, quanquam accidenti compateretur, quale apud virum alienum à carnalibus illecebris non deturpat sponsam invitam.

104. Quare Christianis fœminis in captivitate compressis, alieni ab omni cogitatione sanctitatis ne insultent, sufficit, quod in præclaris Lucretiae laudibus dictum est, duo fuerunt, & adulterium unus admisit. Concludit controversiam citatus S. Aurelius. Quod
" ergo se ipsam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adulterata occidit, non est pudicitiae charitas, sed pudoris infirmitas:
" non hoc fecerunt fœminæ christianæ, quæ
" passæ similia vivunt: tamen nec in se ultæ
" sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua; si, quoniam hostes in eis concupiscendo stupera commiserant,
" illæ in se ipsis homicidia erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiae, habent autem coram oculis DEI sui laudem,
" nec requirunt amplius, ubi quid recte faciant, ne devient ab authoritate legis divinæ.
Con-

Controversia III.

*An Orbi catholico Licitus
sit Polygamiæ usus?*

Species facti. Cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israël, & quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israël. Accepit ergo David adhuc concubinas, & uxores de Jersalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt David, & alij filij, & filiæ. Lib. 2. Reg. cap. 6. v. 12. & 13. Quæritur. Num homo catholicus licetè possit simul habere plures uxores?

ans. Non licet. Quia non licet. An-

105. Ante resolutionem nota. Contratus matrimonialis dat potestatē corporis pro potestate alterius Corporis respectu Carnalis copulæ , taliter , quod in præfato contractu reperiatur propriè commutatio , quâ vir commutat Corpus suum in Corpus mulieris , commutatio autem respicit æqualitatem rerum coimmunitarum in ordine ad finem secundùm rectam rationem. Notanter autem hic dicitur in ordine ad finem , quia non solum sunt respiciendæ res commutandæ quo ad perfectionem ipsarum rerum, sed debent aspici respectu alicujus finis , quod clarum est : nam lapis in entitate sua est melior pane , non tamen melior ad finem, nempe ad sustentationem, siquidem lapides omnes non possunt auferre famem ut panis. dicitur amplius secundùm rectam rationem : puta, quia commutatio instituta est ad rectum superioris velle , nam à DEO sic est institutum Matrimonium , quod esset unus pro una : nec est dicendum , quod fiat injuria alicui , quia omnia sunt sub potestate legislatoris , nempe DEI , hoc determinantis.

106. Dico primò. Ursus Polygamiae homini Evangelico Catholico lege divinâ , & naturæ prohibitus est.

107. Pro lege divinâ vetante hujusmodi usum Probatur unicà sed maximâ authoritatē

tate concilij Tridentini agnoscentis legem divinam Sel. 24. Can. 2. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lega divina esse prohibitum, anathema sit.

108. Pro lege naturæ prohibente Prob. secundò decreto Nicolai 1. ad consulta Bulgarorum cap. 5. duas tempore uno habere uxores nec ipsa Origo humanae conditionis admittit. Accedit ratio. Mulier de lege naturæ propter incertitudinem prolis, cuius plurimam requirit certitudinem natura, nequit habere simul, & semel plures maritos. ergo de eadem lege naturæ neque vir plures uxores. Consequentia patet ex primo legis naturæ principio, quæcunque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis. atqui mulier ordinatissime vult unum duntaxat maritum. ergo similiter maritus rectâ ratione debet unam tantum velle mulierem: & hinc conformiter ad hanc naturæ legem promulgatum est, quod vir adharebit uxori sua, non uxoribus: & quod erunt duo in carne una, non tres, aut plures Gene. 2. cap.

109. Confir. Matrimonium inducit strictam commutationem corporum, quâ vir suum Corpus tradit uni uxori, & uxor suum Corpus transfert in potestatem unius viri. ergo si uxori de rigore justitiae comutativæ non sit liberum traducere potestatem sui Cor-

'Corporis in plures maritos, nec marito potestas erit suum transferre Corpus in plures uxores. atqui justitia commutativa fundatur in punto legis naturæ. ergo. Sed pro plenaria hujus confirmationis notitia, & solutione oppositorum argumentorum.

110. Nota subtilis Doctoris Scoti præclaræ in 4 d. 33. q. 1. Doctrinam §. quantum ad primum. Corpus viri est majoris valoris quam Corpus mulieris, quia pro eodem tempore idem vir potest plures fœcundare, quam eadem mulier possit a viris concipere: quantum ergo ad istum finem de stricta justitia videtur bigamia licita, ut vir cum tot Corporibus mulierum Corpus suum commutet, quot potest fœcundare, eo modo, quo est eis possibile fœcundari, & hoc quo ad finem officij. Quantum ad secundum finem, qui est pro statu naturæ lapsæ, scilicet pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt Corpus viri, & mulieris, ideo de stricta justitia pro statu naturæ lapsæ considerando contrarium istum, ut est ad utrumque finem, requiritur commutatio unius Corporis. Addit præterea citatus Doc. Quod completio justitiae in ista commutatione non est nisi ex authoritate superioris instituentis, vel approbantis talem commutationem, quia et si res aliquæ sint inferiorum dominorum, tamen com-

commutatio earum licita, & justa, talis, vel talis determinatur a legislatore, & multo magis in proposito, & de corporibus in comparatione ad legislatorem DEUM : ipse autem instituit pro omni statu etiam innocentia regulariter istam commutationem deberre fieri unius cum una, in hoc ergo completa est justitia.

III. Dico secundò. Cum aliquibus antiquis Patriarchis post diluvium divina Providentia dispensavit, ut plures haberent uxores, puta, cum Abrahamo, Jacobo, Davide, & alijs, ut liquet ex facti specie, & pluribus sacræ scripturæ locis. Quod autem DEUS providè his, & alijs suam dispensationem promulgaverit, demonstrat iterum Profundus Scotus : quia bonum majus conveniebat ex revocatione prohibitionis de non ducendis plurimis uxoribus, quam ex ipsius prohibitionis obligatione, & observationia : quia erat tunc necessitas multiplicandi genus humanum ad cultum divinum, puta, quia pauci erant cultores DEI, quia in sola successione eorum mansit vera fides, & cultus divinus. ergo pro tunc rationabile fuit dispensare, ut unus commutaret Corpus suum pro pluribus Corporibus mulierum ad maiorem multiplicationem cultorum DEI, quæ sine hac dispensatione non fieret, ut præsumi-

sumitur de Abraham, & quibusdam alijs Patribus.

112. Obi. In ijs, quæ circa obligationem juris naturalis versantur, DEUS non dispensat. sed Polygamia est contra jus naturale. ergo in ea DEUS cum Patriarchis non dispensavit. Respon. ex cit. Doctore. Disq. Ma. Quæ circa obligationem juris naturalis strictè sumpti versantur, DEUS non dispensat Con, Ma. quæ circa obligationem juris naturalis laxius sumpti versantur, DEUS non dispensat Ne. Ma. Ad Mi. dico : quod quædam sint tantum consona legi naturæ, ut Monogamia, & in his DEUS dispensat, deducitur ex lib. Exod. cap. 12. v. 36. *Dominus autem dedit gratiam populo coram Egyptijs, ut commodarent eis, & spoliaverunt Egyptios.* ergo paratione DEUS dispensare potest, ut unus plures sibi jungat uxores, idem enim Dominus est bonorum fortunæ, ac corporum.

113. Instabis. Nunquam ista bigamia potuit esse licita. ergo in ea DEUS nunquam dispensavit. Prob. Antec. Vir habens plures uxores tollit jus unius uxoris, cui persæpe obligatur reddere debitum in remedium vitandæ fornicationis, siquidem dum una uitetur, altera privatur jure suo. Sed tollere jus proprium, & debitum nunquam est licitum. ergo nunquam ista bigamia potuit es-

se licita. Respon. Quandocunque aliquod ad duos fines ordinatur, admagis principalem, & minus principalem, quilibet secundum rem rationem debet velle aliquid perdere de fine minus principali ut finis magis principalis perfectiori modo habeatur: sed sic est, quod Matrimonialis contractus ordinetur ad istos fines, nempe ad prolem procreandam, tanquam finem magis principalem, & ad fornicationem vitandam, ut finem minus principalem, quilibet mulier debet velle, ut aliquid diminuatur de fine minus principali, ut magis principalis servetur: & tunc non fiebat injuria alicui uxori, quia tunc quilibet mulier tenebatur velle aliquid perdere de fine minus principali, ut finis magis principalis perfectiori modo habeatur. Unde in forma scholastica Neg. Anteced. & probationis Ma.

114. Pro hac posteriori positione deduco primò. Nunquam in lege veteri aliquis habuit duas uxores licetè, nisi ex speciali divina relaxatione de ista lege, quæ erat unius cum una: & quando præfati SS. Patres haberunt plures uxores (quibus utebantur non ad carnis delectationem, sed ad procreandam prolem, & educandam ad cultum divinum) non acceperunt eas nisi ex divina dispensatione, & relaxatione: unde quando

Abraham accepit Agar, hoc fecit ex speciali permissione DEI. Et hinc Lamech ille in veteri Testamento, qui primò induxit bigamiam, graviter peccavit, siquidem non fecit ex divina dispensatione.

115. Quærerit incidenter subtilis Doctor Scotus, An unquam fuerit licita Biviria, seu uni mulieri plures viri? & respondet nunquam: quia mulier habitans cum multis raro concipit. ergo ex primario naturali fine, qui est ad procreandam prolem, implicat hic Matrimonialis contractus unius foeminæ cum pluribus viris. Deinde neque esset ad vitandum fornicationem, finem alterum, & minus intentum, quia unus sufficit uni.

116. Pro lege Catholica deduco secundò. Nullus in lege nostra absque ingenti peccato duas uxores simul habere potest, sive aut per Bellum, aut Pestem accedat manifesta virorum penuria, sive amplior Fidei propagatio, nisi specialis fieret relaxatio, seu revocatio, & dispensatio immediate à DEO: & post promulgatum Evangelium similem dispensationem inducere non valet summus Ecclesiæ Pastor sanctissimus Papa, quia mandavit DEUS, ut tantum sint *duo in Carne una* Matth. 19. Ex his.

117. Infertur primò. Polygamus excommunicandus est, sic Cau. 24. q. 3. *An non disticta*
F 2 *ul-*

ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech imitatus esse dignosceris? quod Dominus non nisi post septuaginta septem generationis suo salutifero adventu deleverit. Nicolaus Papa ad Regem Lotharium.

118. Infer. secundò. Polygamus est infamis: quoniam in Matrimonij contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur, unde illum committatur infamia, qui duas simul uxores habet. cap. Numerus à nobis. De Bigam. non ordi.

119. Infer. tertìò. Polygamus, qui, ut secundum Matrimonium contraheret vivente prima uxore mentitur, seu mutat nomen, præter pænas à jure Canonico ordinatas, damnandus est ad triremes in perpetuum: quod si ad hoc reperiatur inhabilis, fustigandus est, & damnandus ad carceres in perpetuum: Urban. VIII. in appen. Constit. 37. Magnum in Christo. Hæc Canones benignè, sed quid leges? consuluntur Civilistæ, nobis enim non licet occidere quenquam.



APPENDIX PRACTICA.

De Relaxatione, seu Dispensatione voti Castitatis.

120. **T**Orquet frequentissimè ex promptitudine Spiritus elicitorum aut verū, aut vero & indubitato affine seu conterminū votum castitatis eos, quorum caro redditur infirma, & minus potens ad resistendum carni, & sanguini, ac incipiunt fatali quoddam mentis cruciatu nunc in cælibem, nunc in conjugalem statum suam reflectere mentem: hinc in eorum solatium, & Confessoriorum directionem præsentem synopticè subnecto appendicem.

121. Dispensatio porrò voti in genere nil aliud est, quam totalis condonatio obligationis voti impetrata ab habente potestatem ex ratione justa, & causa rationabili. Per totalem condonationem obligationis dispensatio secernitur à commutatione, quæ non tam condonat, quam verius debitum unum in aliud transfigit, commutat, seu transfert. Praetera ut valida, & DEO placens sit dispensatio voti, requiritur in dispensante habilitas, seu potestas legitima: quare

122. Ordinaria dispensandi potestas in votis in ordine quo ad totam Ecclesiam jure divino residet in summo Pontifice respectu omnium votorum tum solemnium, tum simplicium, ac etiam juratorum: deinde in Episcopis respectu suorum subditorum circa omnia vota, quæ à summo Papa non sunt reservata. Demum Prælati majores Religio-
num (qui quasi Episcopali respectu suorum Religiosorum gaudent jurisdictione) ean-
dem potestatem habent in suos Religiosos,
quo ad dispensationem votorum, quam ha-
bent Episcopi in suos. Doctrina hæc noti,
& indubitati juris est, proinde in ea proban-
da non immoror.

123. Justæ, & rationabiles causæ dispen-
sandi in votis sunt sequentes. Utilitas Ec-
clesiæ. honor DEI. Utilitas gravis voventis.
Fragilitas ejus admodum periculosa. Levitas.
Inconsideratio. Inconstantia. Timor. Ani-
mi perturbatio in vovendo. Lapsus frequens,
aut certò præsumptus. Monentur tamen suis
titulis dignissimi Patres Confessarij, ut raro
dispensent in toto, sed studeant aliquam aliam
obligationem ad tempus juxta prudens eo-
rum arbitrium imponere.

124. Vota Papæ reservata sunt sequentia
quinque, nempe Vota Castitatis integræ, &
perfectæ: Religionis approbatæ: Peregrina-
tionis

tionis ad Limina Apostolorum , aut Compostellam , aut Jerusalem . Posteriora quatuor missa facio , solùmque impræsentiarùm ea pertracto , quæ votum castitatis concernunt , & sapiunt .

125. Dico primò . Confessarij Ordinum Mendicantium , & qui cum illis participant , habent potestatem delegatam dispensandi in omnibus , & quibuscumque votis castitatis (dummodo hoc votum castitatis non sit omnimodū , & perpetuum) sacerdotalium undeque venientium , & in quibuscumque alijs , solaque illa quinque numero 124. recensita ab eorum potestate excipiuntur . Ita Concessit Eugenius IV . in quadam Bulla , quam refert Bordo . Tom . 1 . Ref . 15 . n . 2 . Paulus III . Societati JEsu Bulla , quæ incipit *cum inter cunctas §. nec non vota.* Hanc sententiam tenet torrens Theologorum , & Canonistarum . Atque Privilegium hoc amplissimum non tantum oracula vivæ vocis concedunt , sed etiam firmius roborant Bullæ relatæ . Sicque ex hac Pontificum gratia .

126. Deducitur primò . Regulares possunt dispensare in votis non fornicandi : sacros Ordines suscipiendi : non petendi debitum : non nubendi . Ratio horum efficax est: quia hæc vota omnimodam , seu integrum castitatem non includunt : nam qui

vovet non fornicari, non promittit per votum integrum castitatem, cum ei stante hoc voto liberum sit transire ad nuptias. Qui vovet suscipere sacros ordines, non vovet simpliciter castitatem, seu castitas non est principale, & primarium hujusmodi voti objectum, seu intentum, quia castitas est tangentia accessoria Ordini sacro. Qui vovet non petere debitum, non vovet simpliciter castitatem, quia potest, & tenetur reddere coniugi debitum non habenti hoc votum. Qui vovet non nubere, si post tale votum fornicetur, nullo modo peccat contra votum non nubendi sed tantum contra praeceptum Decalogi non mactaberis.

127. Secundò. Votum virginitatis, quo vovens virginitatem nil aliud sibi praefigat, & intendat, nisi solam claustrum integratatem, & non ipsam virginitatis virtutem, à Regulari confessario omnino est dispensabile: quia qui vovet virginitatem sub sola integritate claustrum servandam, effracto claustro non amplius obligatur hoc voto.

128. Tertiò. Valet dispensatio voti castitatis temporalis, ut emissum ad annum, vel aliud tempus limitatum: simile enim votum non est simpliciter votum castitatis, quale perpetuitate requirit, ut praeterquam a summo Pontifice, ab alio reddatur in dispensabile.

129. Quartò. Si quis voeat perpetuam castitatem adjectâ conditione v. g. si de morbo convaluero , antequam convalescat, potest Regularis in tali voto dispensare: quia tale votum nec absolutum est, nec ante adimpletam conditionem actu obligat: neceo usque votum completum, & perfectum defini-ri potest, conditio enim nil ponit in esse.

130. Ætò. Si quæ taliter voeat perpetuā ca-
stitatem , si hic sponsus me deserterit, aut à
contraetu sponfalitio resilierit, perpetuam
in honorem DEI servabo castitatem, sic vo-
veo, sic promitto: aut voeo me Religio-
nem ingressuram, potest Regularis ante resi-
litionem, aut Religionis ingressum à Religio-
nis. aut castitatis voto similem liberare: ra-
tio est , quia voluntas tunc non est absoluta,
sed conditionata, quam usque ad conditio-
nis adimpletionem non curat Papa.

131. Sextò. Stante rationabili causa libe-
rum est confessario Regulari dispensare in
voto pœnali castitatis , seu quod in pœnam
futuri peccati est assumptum , v. g. vovet
quis se castitatem servaturum , postquam in
peccatum fornicationis lapsus fuerit. Moveor
in hoc casu ad dictandam dispensationis fa-
cilitatem bina juris ratione. Reservationes
enim sunt stricti juris, & odiosæ, consequen-
ter strictæ interpretationis, & tanquam odia

restringendæ. Deinde ut votum castitatis censeatur Papæ reservatum, illud esse debet absolutum, & plenum. atqui præfatum in casu votum non est absolutum, sed ab even- tu contingentí, & voluntate secundùm quid pendens, ergo minimè reservatum Papæ,

132. Septimò. Quando votum est disjun-
ctivum, v. g. voveo, & promitto vel perpe-
tuam castitatem vel perpetuum Jejunium, à
quolibet Regulari participante in privilegijs
est dispensabile, siquidem taliter vovens po-
testatem habet eligendi alterutrum, electo
Jejunio potest confessarius ab hoc dispensare,
& consequenter tunc ad perpetuam castita-
tem non obligabitur.

133. Octavò. Quando quis post factum
simplex votum castitatis perpetuæ, & inte-
græ in facie Ecclesiæ validè sed illicite con-
traxit matrimonium, & consummavit, ut de-
bitum valeat exigere, & petere, aut Episcopus,
aut Regularis Confessor cum illo dispensem:
imò quamvis matrimonium necdum con-
summasset, alteruter in finem consummatio-
nis poterit dispensare: & quidem voventi ca-
stitatem necessaria est dispensatio, postquam
stante voto contraxit matrimonium, sed il-
lud nondum consummavit: quia votum tum
petendo, tum reddendo violatur. Ratio
hujus necessariæ dispensationis est: quia
cum

cum Ecclesia tale matrimonium prohibeat, censetur non velle, ut in voto dispensetur; quia tamen tale votum matrimonium non dirimit, censetur velle sic iunctis providere. Verum hæc voti dispensatio minimè est absoluta, & directa, sed respicit tantum petitionem & exigentiam debiti conjugalis: qui enim castitatem simpliciter vovit, semper ad illam obligatur servandam saltem in habitu, mortuâ namque coniuge votum ex habitu reviviscit in actum: atque hanc post mortem alterius conjugis voti reviviscentiam tenentur confessarij voenti conjugi promulgare, & ejusdem observantiam inculcare. Sic cum alijs Bordon. Tom. 1. Ref. 15. num. 31. Trull. in Decal. lib. 2. cap. 2. dub. 4. Addit noster Emanuel Rodericus Quæst. Canonic. & Regul. Tom. 1. Quæst. 63. art. 2. Possunt dispensare Fratres Minores ad petendum debitum post contractum matrimonium cum ijs, qui ante matrimonium emiserunt votum castitatis, juxta concessionem Sancti Pij V. factam die 28. Octobris Anno Domini 1569. prout refertur in compendio societatis. Tit. Dispens. §. 8. Et hujus concessionis dat testimonium Veracruz in suo compendio conjugorum art. 5. de simplici voto folia mihi 102.

134. Hæc de castitate ante matrimonium DEO promissa, quæ sequuntur, resolvunt, dubia

dubia emergentia circa castitatem post consummatum matrimonium elicitaruntur: & quamvis matrimonium consummatum destruat gloriam virginitatis castitatis, non tamen impedit amplexum castitatis ut virtus est, seu continentia sancta, & salubris ab omnibus venerabilis, quam conjuges consummato etiam matrimonio liberè vovere possunt; proinde quando uterque mutuo consensu per modum contractus continentiam perpetuam vovit, hoc votum reservatur Summo Pontifici, quia absolum est, & perpetuam castitatis, & obligat prorsus ad non petendū nec reddendum debitum, quare in ejus dispensationem Regularis Confessarius authoritativer non se ingenerat, cum nullū dispensandiprivilegium pro hoc perpetuam continentiae voto habeat, sed oportet, ut recurrat pro dispensatione ad altiora tribunalia nempe sacram Pœnitentiariam, aut in casu periculi gravis in continentiae ad Ordinarium. Ita Sanchez.

135. Sed Regularium delegata auctoritas ad dispensandum in voto continentiae se extendit. Primo. Quando conjuges illi mutuo consensu, & per modum pacti solam continentiam ad tempus vovissent: cum id castitatis votum sit temporale, & consequenter non reservatum.

136. Secundò alter conjux absque consensu alterius conjugis vovet continentiam, quia hoc votum non est omnimodæ, & integræ castitatis, cum defectu consensûs, scilicentia alterius conjugis ad non reddendum debitum obligare nequeat: prout definit cap. Nosse. xxx. q. 1. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maximè cum Apostolus præcipiat: nolite iuquens fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus ut vacatis orationi, & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. ergo si non ex consensu utriusque conjugis hoc factum esse probatur, non fraudentur invicem sed revertantur in id ipsum.

137. Tertiò similiter dispensabile est continentiae votum, quandò castitatem alter solus sed de alterius licentiâ vovit: cum hoc votum non sit omnimodæ continentiae, sed partis, siquidem eo non obstante tenetur vovens reddere debitum.

138. Sed pro hoc, & præcedente voti casu Nota. Quando vovens continentiam perpetuam animum concepit ingrediendi Religionem approbatam, nequit Regularis Confessor in eo voto dispensare, poterit tamen dispensare ad petendum debitum: & mortuo

tuo altero conjuge plenariè in vovente
riviviscet continentia, & Religionis ingre-
diendæ obligatio.

139. Quartò. Quando uterque conjux
seorsim cum licentia alterius continentiam
(non tamen per modum contractus, & re-
ciprocæ conventionis , nempe facio , & vo-
veo continentiam perpetuam , ut itidem fa-
cias, & voveas continentiam perpetuam) vo-
vet, hoc votum dispensabile est: quia non
est integræ , & perfectæ continentia, cum
neuter à redditione debiti liber censem-
tur.

140. Quintò. Si conjuges per modum
contractus vovissent castitatem hâc lege , seu
conditione, ut si soboles, quam tunc habent,
obiret, possent uti matrimonio , alias non:
stante rationabili causâ dispenset Confessa-
rius sic conditionatè voentes , nondum
adimpta conditione : quia, ut dictum est
supra, absolutum votum reservatur Pontifi-
ci, & nullatenus conditionatum.

141. Sextò. Similiter valet dispensatio
voti hâc conditione modificati: si DEUS no-
bis hoc beneficium concederit, ut habeamus
prolem, promittimus in debitam gratiarum
actionem perpetuam continentiam: ratio est,
quia conditio de futuro, quæ revera suspen-
dit consensum , efficit, ne votum sit absolu-
tum,

tum, consequenter non reservatum. ergo subjectū potestati delegatæ residenti in Confessario Regulari.

142. Dico secundò. Regulares impellen-te justā, & rationabili causā possunt dispensare in juramentis, quæ cadunt super materiam voti castitatis (quæ Papæ reservatur) etiamsi sint absoluta. & perfecta: v. g. Juro per DEUM quod velim ducere in perpetuum vitam undequaque castam, & cœlibem. Hæc est Tabiennæ. Navar. Ledesm. quos refert, & sequitur Diana 4. P, Tract. 4. Resol. 96. Ratio est: quia in toto jure nullum prorsus repetitur juramentum reservatum. Nec sequitur: votum castitatis perpetuæ reservatur Pontifici. ergo etiam juramentum de illa materia: nam obligatio voti major est obligatione juramenti, quippe cum omne votum includat juramentum, non tamen econtra omne jusjurandum includit votum; in voto DEIUS est testis, & Promissarius, in juramento solummodo testis rei promissæ, ergo cum reservatio sit odiosa restringenda erit ad vota, & non amplianda ad juramenta pura, maximè dum agitur de commissa alicui potestate dispensatoria: quia cum dispensandi potestas conceditur, nulli fit præjudicium, nisi foli concedenti, qui potestatem suam totam, vel ejus partem communicat: nec ex parte

parte ejus, cui conceditur, reperitur aliquod odium, ac proinde tanquam Principis beneficium est latè interpretanda juxta cap. olim. de verb. signif. bēnē vero reservatio juranti odiosa est, consequenter restringenda. ergo votum omnīmodæ, & perfectæ castitatis manet reservatum supremo Ecclesiae Principi, seu Pontifici, sed non sic reservabitur ejusdem juramentum duntaxat, seu solitarium juramentum castitatis absque ejusdem voto expresso.

143. Dico Tertio. Regulares dispensare possunt in voto castitatis non perfectæ, & integræ, habente adjectum juramentum in sui confirmationem. Ita concessit Gregorius XIII. Societati IESU in Bulla, quam refert Bord. Ref. 15. n. 25. & tenent Bosius. Portel: Rodriguez. Ratio est. Quod concessso majori, censeatur quoque adnexum minus concedi, cui enim licet, quod est plus, licet utique, quod est minus juxta Regulam juris in 6. quinquagesimam: & iterum accessorium naturam sequi congruit principalis. Reg. 42. atqui majus est votum, & minus juramentum votum est principale, juramentum accessorium. ergo qui authoritatem habet in eadem linea obligationis dispensaudi in voto castitatis non integræ, poterit pariter dispensare in juramento accedente tale votum.

144. Horum casuum resolutio tēdam dat prudenti confessario ad religiosē, & audacter decernendum in similibus casibus quotidiana experientia plurimis. Et quæ traduntur de dispensatione, à fortiori practicanda erunt in commutatione: ita ut omnia & similia prædicta vota castitatis (excipe perfectam, & integrum promissam castitatem, & reliqua quatuor vota reservata) sacerdotalium undeque venientium valcent Regulares iſi alia pia opera commutare. Ita concessit per Bullam Eugenius IV. Benedictinis: & Paulus III. Patribus Societatis Bulla n. 125. citata: & postea Gregorius XIII. extendit hoc privilegium teste Lezana Tom. 1. cap. 19. n. 23. per Bullam ad vota juramento roborata: dummodo eorum commutatio in alterius detrimentum, & præjudicium non fiat.

145. Dico Quartō. Omnes prædictas dispensationes, quas Regulares facere possunt ratione suorum Privilegiorum, & potestatis delegatæ five in juramentis, five in votis (exceptis quinque reservatis) five in exigendo debito conjugali, extra confessionē sacramentalem valet impertire. Sic Laymann, Diana. 3. Part. Tract. 1. Resol. 10. Bord. Tom. 1. Resolut. 6. n. 24. Rodriguez. Portel. in dubijs Regularium verbo confessor. Nec obstant verba Privilegiorum ex Bulla citata Pauli III.

*Cum inter cunctas data Romæ apud S. Petrum
sub annulo Piscatoris die 3 Julij Anno 1545.
Pontificatus sui anno secundo : possint quo-
rumcunque utriusque sexus fidelium , ad eos un-
dique accedentium confessionibus diligenter au-
ditis, &c. non obstant inquam , quia ibi , &
alibi concedunt summi Pontifices absolutio-
nem à peccatis , & absolutionem à juramen-
tis, votis , &c. ita quod absolutio à peccatis
non possit dari nisi auditis eorum confessio-
nibus , absolutio autem à votis , &c. extra
possit conferri: verba enim illa secundum
terminos juridicos debent intelligi , ut jure
disponitur, absolutionem à peccatis in Sacra-
mento Pœnitentiæ indulgandam , absolutio-
nem vero in votis , juramentis , censuris , &c.
extra sacramentum posse condonari : dein-
de quod postea absolutio non valeat pro foro
externo , & contentioso , nisi à Judice
recipiatur.*



P A R S IV.

De Impedimentis dirimentibus in particulari.

PErtractatis, quæ circumstant matrimonium, Bonis progredior explanare controversias in iure magis arduas pro parte hac, quæ intitulatur de impedimentis dirimentibus: horum legitima introduc^{tio} pronuntiatur bona lex, unde omnia vegeta sunt, & in finem supernaturalem erecta, socij digni, optima proles, & in totum orbem ab ea recti mores, Illa honestatis in toro fulgentis argumentum efficax: nec unquam magis libidinosa judicia nostra torqueimus, quam ubi remota libertate solūm ante oculos honestum stetit, ex quo magna generantur, nempe homo, sacra res. Hinc Ecclesia catholica in suo solemnissimo Tridentino Concilio luxuriantes in judicijs suis Novatores Sess. 24. can. 4. anathemate ferit, & explodit eorum vanum destruendi impedimenta dirimentia molimen: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constitutis errasse: anathema sit.* Congruentia horum

impedimentorum est, aut ex parte contra-
ctūs; aut ex parte contrahentium; aut ex
parte solemnitatis: Si ex parte contractūs,
cum matrimonium debeat esse undequāque
liberum, libertati autem adversatur *Error*,
Vis, *Raptus*, tria impedimenta erunt contra li-
bertatem contractūs: ex parte contrahen-
tium erunt impedimenta dirimentia. *Impo-*
tentia, *Servitus*, *Ordo*, *Votum*: alia sunt respe-
ctu certarum personarum *Cognatio*, *Crimen*,
Honestas, *Affinitas*, *Cultus disparitas*: ex parte
solemnitatis requiritur necessaria Parochi, &
duplicis testis præsentia.

APPENDIX INTERIACENS.

De notitia nullitatis Matrimonij, ejusque remedio, nempe procurandâ Dispensatione.

I. PRIMÒ. Conjux nullitatis Matrimonij
conscius, quod sciat priorem mari-
tum vivere, sub reatu Adulterij nec reddere,
minus petere audet debitum Matrimoniale:
sic definit sacra scriptura I. ad Corinth. 7. *His*,
qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego,
sed Dominus, uxorem à viro non discedere: &
ad Rom. 7. *Mulier vivente utro obligata est le-*
gi.

gi. ergo. vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

2. Sed dato, quod conjux sit dubius de transitu ex hoc mundo alteri⁹ conjugis, num is ad secunda vota licet transire valeat? Casum hunc pertractat cap. Dominus. de secundis Nuptijs, quod constituti quidam Catholici in captivitate Saracenorum absque debita certitudine de obitu alterius conjugis secundas nuptias contraxerint, re delata ad Lucium III. summum Pontificem ita respondit, cui summæ decisioni nos quoque stamus. Sanè quod quidam ex vobis (nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine) contraxerint: id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare presumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Si verò aliquis, vel aliqua hac tenus non servavit, & de morte prioris conjugis adbuc sibi existimat dubitandum, ei, qua sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen neverit nullatenus exigendum: Quodsi post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur.

3. Ex quibus verbis liquet, quod introductum decretum Pontificium loquatur solummodo de secundis nuptijs ab aliquo conjuge contractis, qui necdum erat certus de prioris conjugis morte, sed anceps seu

dubius verb. grat. ob absentiae diuturitatem, aut periculosem navigium &c. quo casu quamvis talis contrahendo Matrimonium peccet mortaliter, quia Sacramentum Matrimonij exponit periculo nullitatis, cum tamen de morte alterius non constet certò, & jam sit constitutus in alio Matrimonio, potest in eo perseverare, ac innocentem conjugi debitum petenti reddere, sed illud exigere vicissim, seu petere dubius nullo modo potest, donec vel de morte prioris conjugis, aut de ejus vita constiterit, quo posteriori eventu, nempe in casu vitae prioris conjugis obligatur posteriorem dimittere, & priorem repetere, & in hoc non est remedium aliud.

4. Secundò universaliter. Coniux occulta nullitatis contractus Matrimonialis conscientius v.g. quod sciat presentem esse affinem, nec propter vitanda scandala, nec timorem cujuscunque paenae civilis, aut Canonicae, quinimo nec propter vitandam ipsam mortem stante, & perseverante impedimento diremente potest perseverare in illo Matrimonio, nec petere, nec reddere debitum absque mortali peccato, sic decisio Pontificia cap. literas. de Restitut. Spoliat. *Qui consanguinitatis habet notitiam, nec exigere debitum contra conscientiam, nec solvere teneatur, quoniam si secus egerit, adificat ad gehennam.*

Ratio

Ratio efficacissima etiam est: quia alias fornicatio aliquando esset licita, nempe ad vitandum vitæ, vel famæ periculum, quod est erroneum. ergo. Prob. Antec. Fornicatio est accessus ad non suam. atqui impedimenti conscius accederet ad non suam. ergo accessus hujusmodi esset verissima fornicatio, ~~qua fugere jubet Paulus, fugite fornicationem~~ 1. ad Corinth. 6.

5. Oppones. Tale Matrimonium ex parte ignorantis impedimentum est validum, qđi quoque imperturbatè manere debet in jure petendi debitum, & alter reddendi. ergo. R. Neg: Antec. pro utrâque parte : quia sicut Matrimonium ita & jus illud nullum est. Nec ignorantibona fides suffragatur, quippe cum juxta Canonizatum Canonistarum axioma contractus Matrimonialis claudicare non debat, proinde Matrimonium ex una parte scienter nullum, erit quoque ex parte ignorantis nullum, consequenter jus inde resultans vanum.

6. Oppones secundò. Occultus peccator publicè exigens sacramentum v. g. sacram communionem ei ab Ecclesiæ Ministro dari debet: constat ex facto Christi Domini, qui Judæ Proditori sacrilego sanctissimum suum corpus, & sanguinem coram turba duodenā non denegavit, sed misericorditer por-

rexit. ergo similiter ignorantis impedimentum nullitatis matrimonij exigenti debitum alter occulte conscientis impedimenti reddere obligatur. R. Neg. conseq. disparitas ducitur ex utriusque jure: occultus siquidem peccator adhuc manet in juridica possessione famæ suæ integræ, quæ per denegationem sacramenti publicè petiti laedi minimè debet; at conscientis impedimenti etiam occultissimi nullum prorsus ius in actum conjugalem habet: hinc illum nec reddere, nec exigere absque mortali fornicationis peccato potest.

7. Oppones tertio. Ex duobus malis minus est eligendum cap. duo mala. dist. I 3. ubi habetur *duo mala licet sint omnino cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debent resolvere, quod minori nexu nescitur obligare.* Sed minus malum est reddere debitum accedente mandato Ecclesiæ quam negare, hoc enim est crimen inobedientiæ, ex quo gravia scandala, & fortè uxoricidium sequentur, fornicatio autem est minus malum, nam licet sit intrinsecum malum admittere fornicationem, non tamen permittere: imò ad evitanda gravia damna, & mala aliquandò licite permittitur. Quamvis ergo non liceat conjugi scienti impedimentum petere debitum, quod est facere fornicationem, licebit tamen

tamen ipsi reddere, quod est permittere. *R.*
cit. cap. intelligendum esse de malis pœnæ.
Quod si loquatur de malis culpæ, non est intellegendum de ijs, quæ sunt intrinsecè mala, quia talia in nullo eventu sunt licita, ut est Mendacium, Fornicatio, Adulteriū, &c. sed de illis, quæ sunt extrinsecè mala, seu per prohibitionem, & talia aliquando sunt licita v. g. omittere sacramentum, frangere Jejunium, non dicere Breviarium, &c. ad evitandam aliquid grave damnum: quia cum Ecclesia non sit neverca sed pia mater in his circumstantijs non obligat: primi generis mala ideo sunt prohibita, quia in se mala; secundi verò generis ideo mala, quia prohibita, & interdicta. Ad illud de admittere, & permittere fornicationem dico, permittere in alio, quando rationabiliter non possum impedire, licitum esse, nec est hoc facere: permittere autem in se ipso est, illicitum, ut in proposito contingenter.

8. Oppones Quartó. Factum scripturæ, quod enervat superius adductam rationem. *Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee: vade sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Osee. 1. cap. ergo accessus ad non suam non est intrinsecè malus, consequenter in aliquo casu licitus. *R.* Neg. utramque conseq. Ad fa-

Etum S. Scripturæ dico ex Aug. l. 22. contra faustum. Jræneo. Hieronymo : quod Osee licitum fuerit assumere sibi eam, quæ antecedenter erat fornicaria mulier, quam sumpsit sibi non ad usum tantum, sed etiam in verum matrimonium, & in conjugem : unde copula illa, quæ ex se alioquin erat fornicaria, & illicita, sub ea circumstantia, quod Deus rerum omnium, & corporum Dominus dedit ^{re} jus in corpus illius, perinde ac conceditur à consensu mutuo matrimoniali, desijt esse fornicaria, & evasit licita ac honesta. Vel verò Oseas mulierem fornicationibus integrè deditam, seu insignem fornicariam, vel publicum scortum legitimo contractu copulavit sibi, & duxit in uxorem, quæ postea Osee fiebat uxor legitima, & non manebat fornicaria, nisi denominatione extrinseca ab eo, quod antè fuerat : & hoc sufficit, ut filij, licet ex legitimo matrimonio procreati, vocentur *filii fornicationum*, id est, filii matris, quæ antea passim habebatur fornicaria, & publica meretrice, quale nomen à publica meretrice non detergitur apud populum etiam subsequentem matrimonio. Frustra ergo Græci (quibus id attribuit Doctissimus Alphonſus à Castro) ex hoc textu nituntur colligere, fornicationem jure naturæ non esse illicitam. {Inde generaliter affero, nunquam

quam fore licitum cuicunque conjugi scienti invaliditatem contractus matrimonialis reddere debitum conjugi petenti, minus exigere, accedente etiam quocunque commodo, aut periculo, pereat mundus, & fiat justitia.

9. Quæres. Quibus modis juvari possit conjux conscius impedimenti dirimentis, quod sine infamia, aut vita periculo detegere nequit, vel si detegere, probare non potest, sed compellitur aut per Excommunicationem, aut alia media ad cohabitandum, & reddendum debitum? R. à DD. varia hujusmodi proponuntur remedia: primò, ut fugiat in locum, ubi scandala cessant: secundo, ut Religionem ingrediatur: tertio ut coabitet cum conjugi tanquam frater cum sorore. Optimum remedium censeo, & judico, ut petatur dispensatio. Quare

10. Quæ de formulis dispensationum dicenda essent, ab alijs in praxi Romanæ curiæ expertis traduntur integris voluminibus, exceeduntque nostrum intentum: proinde breuem pro hoc remedio subiecto directionem in obsequium eorum, qui tribunali sacramentali præsunt Judices: addo quoque confuetas formulas, quibus supremæ sacræ Pœnitentiariæ, vel alijs Episcopalibus tribunalibus in casu urgentis necessitatis species facti transcribi poterit.

11. Ubi itaque ejusmodi casus intervenierit spectans ad sacrum tribunal, laborabit Confessarius, ut Pœnitens rem sincerè appetiat. Observabit deinde, & circa matrimonium inquiret, quale fit impedimentum, an occultum, an de contracto, an de contra-hendo matrimonio agatur? Item de votis, quam ob causam petatur dispensatio: & an illud impedimentum etiam ipsis personis sit occultum, vel tantum ex una parte cognoscatur, vel si ex utraque parte, non, aut deductum ad forum contentiosum. Circa censuras observabit genus censuræ, circumstan-tias, genus personæ, an vir, vel fœmina, laicus, vel clericus? v.g. circa irregularitatem examinabit an ex delicto, & quali, an ex defectu, & quali, an ex homicidio, mutilatione, & quali. Habita igitur totius causæ exacta notitia, scribatur casus breviter, & mittatur Eminentissimo Domino. S. R. E. Cardinali Pœnitentiario, significando viam, per quam responsum sit mittendum hoc modo.

Titulus ad extra.

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Sac. Rom. Eccl. Cardinali Sanctissimi Domini Clementis Papæ XI. supremo Pœnitentiario.

ROMÆ.

Titulus in ipsa epistola.

Eminentissime, & Reverendissime Domine,
Domine S. R. E. Cardinalis.

12. N. Contraxit matrimonium cum muliere, cuius matrem antea carnaliter cognovit, conscientius, vel inscius impedimenti, quod occultum est. Quare cum absque scandalo separari non possint: humillimè supplicat pro remedio. Quam gratiam Deus, &c.

13. N. Mulier emisit votum castitatis perpetuae: sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiae: humillimè pro dispensatione ad effectum nubendi supplicat. Quam gratiam Deus, &c.

14. N. Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto ab eo, ob talem, vel talem causam, clam, tali modo patrato, vel procurato in persona laici, ab eo tempore non abstinuit ab exercitio Ordinum, vitan-
di scandali causâ, vel ne se proderet: sive abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstinere non possit: humillimè supplicat pro remedio. Quam gratiam Deus, &c.

15. Obtenta dispensatione formula sequenti eandem Confessarius Pœnitenti dispensando promulget: *Absolvo te à peccatis tuis, &c. Et eadem authoritate declaro Te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse, & debere nec non dispenso Tecum,*

*ut idem debitum etiam exigere licet valeas in
Nominis Patris, & Filiij, & Spiritus S. Amen.*

16. In procurandis similibus dispensationibus bene obseruetur, ut casus in omni claritate proponatur, & nunquam specificetur individuum. Et si contingat Rescriptum sacrae Pœnitentiariæ emanare, confessarius replicet, triplicet petitionem. Simili modo, si opus esset, scribat ad sacram Pœnitentiariam pro absolutione casuum Bullæ Cœnæ.

17. Extincto per gratosam dispensationem impedimento, vel alio modo cessante v. g. quia prior conjux ex hoc mundo transiit, requiritur essentialiter ad valorem praesentis Matrimonij utriusque novus consensus. Sic D. Thomas. Scotus. 4. d. 35. q. un. Ratio est: quia prior contractus erat nullus, & invalidus ex utraque parte propter impedimentum dirimens. ergo ut sit validus debet renovari, non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit Reg. Justis. 18. Et quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Hæc autem renovatio fieri debet cum revelatione impedimenti, licet non causæ, nec contra Parochum, & testibus, nisi timeatur scandalum, & deserito conjugis ab altero conjuge, quo casu absque revelatione impedimenti posset fieri renovatio contractus hoc,

hoc, vel simili modo : *Scio charissima, aut
 echarissima, quod me ames, & ego te taliter, ut
 si non essemus Matrimonio juncti, vellemus ad-
 bui conjungi, & sic visne me habere conjugem
 casu quo fuisset aliquid impedimentum inter nos
 & illo respondentia volo.* Posset etiam alter
 conjugum impedimentum nullitatis alteri
 revelare, dicendo se non consentisse in Ma-
 trimonium prius, quod verum est, quia con-
 tractus fuit nullus, unde potest appellari non
 consensus, sed prudenter hoc modo uti de-
 beret. Agat itaque Confessarius Doctorem
 prudentem, & providum in occurrentia hu-
 jusmodi casus, & suggerat eos modos pro
 officij sui discretione, qui novum consen-
 sum ex utrâque parte inducent, & suadeat,
 si expedire judicaverit, ut eliciatur seu pro-
 curetur etiam inter liberaliora sobria tamen
 pocula, aut inter honestos amoris actus,
 quippe cum sic pars altera felicius, & faci-
 lius ruet in externum novum consensum,
 cuius cura committitur plenariè prudentiae,
 & discretioni Confessarij. De his videat Le-
 tor plura apud Sanchez l. 2. de Mattrim. d.
 36. ubi etiam eruditè probat, illam renova-
 tionem contractus minimè debere fieri co-
 ram Parocho, & testibus necessariò.

APPENDIX ALTERA.

De Rescriptis sacræ Pœnitentiariæ.

18. **S**Anchez, Rodriquez, Portellus viri clarissimi una cum alijs quibusdam hujus Appēndicis contiuntur Cynosura prætio, quorum methodum, & Doctrinam suberrimam utrāque manu amplector, & laudo. Sed, antequam scitu necessaria proferam, expedit, ut percipiatur pro foro conscientiæ sacræ Pœnitentiariæ Consueta dispensationis forma.

19. " Leander Miseratione Divina Tituli
 " S. MARIAE trans Tiberim Presbyter Cardi-
 " nalis Colloredus, Discreto viro Confessori
 " Magistro in Theologia, vel Decretorum
 " Doctori ex approbatis ab Ordinario per
 " latorem præsentium ad infra scripto spe-
 " cialiter eligendo, salutem in Domino. Ex
 " parte mulieris præsentium nobis oblata pe-
 " titio continebat, quod ipsa alias Matrimo-
 " nium publicè in facie Ecclesiæ contraxit,
 " & successivè consummavit cum viro, à
 " cuius filio se antea carnaliter cognosci pas-
 " sa fuit. Cum autem sicut eadem petitio
 " subjungebat dicta latrix impedimentum ex
 " præ-

„ præmissis proveniens, quod occultum est,
„ in dicto Matrimonio remanere nequeat
„ absque sedis Apostolicæ dispensatione,
„ ideo ad evitanda scandala, quæ sequeren-
„ tur, & pro suæ conscientiæ quiete cupit à
„ præmissis, de quibus plerumq[ue] dolet, ab-
„ solvi, secumque desuper dispensari. Quare
„ supplicavit humiliter, ut sibi super his de
„ opportuno remedio provideret dignare-
„ mur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Dq-
„ mini Papæ curam gerimus hujusmodi sup-
„ plicationibus inclinati Auctoritate Aposto-
„ lica specialiter nobis concessa Discretioni
„ tuæ comittimus, quatenus si est ita dictam
„ latricem, auditâ prius ejus Sacramentali
„ confessione, ac sublatâ occasione amplius
„ peccandi cum dicti viri filio à quibusvis
„ sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasti-
„ cis, quas propter præmissa quomodoli-
„ bet incurrit incestu, & excessibus hujusmo-
„ di absolvias hâc vice in forma Ecclesiæ con-
„ sueta, injuncta ei pro modo culpæ gravi
„ pœnitentiâ salutari, ac Confessione Sacra-
„ mentali semel quolibet mense per tempus
„ arbitrio tuo statuendum, & alijs injunctis,
„ quæ de jure fuerint injungenda. Demum
„ dumodo impedimentum præfatum occul-
„ tum sit, & aliud Canonicum non obstet,
„ cum eadem latrice, ut dicto viro de nulli-

" tate prioris consensus certiorato, sed ita
 " cautè, ut latricis delictum nusquam de-
 " tegatur, Matrimonium cum dicto viro, &
 " uterque inter se de novo secretè ad vitan-
 " da scandalis præmissis non obstantibus con-
 " trahere, & in eo postmodum remanere
 " licet valeant, misericorditer dispenses:
 " prolem suscepit, & suscipiendam exinde
 " legitimam decernendo in foro conscientiæ
 " & in ipso actu Sacramentalis Confessionis
 " tantum, & non alio modo, ita quod hujus-
 " modi absolutio, & dispensatio latrici in fo-
 " ro judiciario nullatenus suffragentur &c.
 Ex hac forma pro praxi sequentes paragra-
 phos observa.

20. Primus est omnibus dispensationibus
 fermè communis: *Discreto viro Confessori Ma-*
gistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex
approbatis ab Ordinario: qui in delegato exi-
 git duplarem necessariam qualitatem. Pri-
 ma est, ut sit universitatis alicujus Doctor in
 jure Canonico; aut Magister seu Doctor in
 sacra Theologia: solent enim in quibusdam
 universitatibus promoti ad Doctoratum
 Theologiæ vocari Magistri, in alijs Doctores.
 Secunda est, ut Confessarius ad causam di-
 spensationis delegatus sit ab Ordinario ap-
 probatus, & jurisdictionatus.

21. Utraque qualitas sub nullitate actus
 re-

requiritur in delegato, & prima in omni stricto, & proprio sensu, adeò ut licet quis esset Doctor duntaxat juris civilis, aut alius doctissimus sive lector, sive Professor, sive publicè docens, & legens, sive jam examinatus, & approbatus licentiatus, nequeat tamèn præfatas litteras validè exequi.

22. Sed Lectores ordinis mei ~~Sigraphici~~, ut habet Pr. Reiffensteul in exquisitò iuo jure Canonico. Appen. de Dispen. §. 9. n. 445. qd*ā* post expletam statuto tempore per ordinis generales constitutiones lecturam vocantur, & sunt *Lectores Jubilati*, seu *Emeriti* (non item *Generales*, minus non actuales, aut actuales alterius cujuscunque Theologici studij) præfatas litteras sacrae Pœnitentiariæ valent exequi, & dispensare. Sic novissimè per speciale Breve indulxit Innocent. XI. Exponi nobis. 1679. 27. Novembris.

23. Deinde eandem facultatem concessit Gregorius XIII. Inclytæ Societati JEsu sub tenore, & modificatione sequenti. *Possunt Sacerdotes Societati JEsu designati per Præpositum Generalem, aut de ejus licentia per alios superiores Societatis, & à locorum Ordinarijs approbati, vel approbandi, etiam si nullo gradu sint insigniti, aperire litteras sacrae Pœnitentiariae destinatas Magistris in Theologia, vel in jure Canonico Doctoribus, & auditu Confessionibus recurren-*

stium ad ipsos, imposita illis Pœnitentiâ in litteris expressâ vel de jure infligendâ eos absolvere, ac in foro conscientiæ quascunque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes & pœnitentiârum injunctiones excipere, & exequi. Atque hujus amplissimæ gratiæ redunduntur participes Ordinum Mendicantium Generales. Verum compendijs Societatis Collector Tit. Confes. §. 3 advertit : quod ad hanc facultatem periendi litteras, designentur omnes superiores, alias approbati, juxta hanc concessiō nem, & omnes alij confessarij, quos ipsi ad id deputaverint, quæ designatio à superioribus Generalibus debet fieri in alijs Religionibus, ut hâc gratiâ possint gaudere eorum Confessarij, alioquin absque designatione minimè gratiâ illâ posint frui, & quidquid egerint circa hoc, irritum, & inane erit, tanquam attentatum à non habente legitimam potestatem. Nec designentur nisi docti, & experti Confessarij, ut pote cum sit negotium arduum, & magni momenti, pro cuius terminatione certè specialis industria personæ quaerenda est.

24. Quod si dicta sacra Pœnitentiaria commissionem, & inscriptionem sub his terminis expediat : *Discreto viro Confessori ex approbatâ ab Ordinario* : quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per litteras specialiter de-

deputatus exequi poterit, et si Doctor non sit.

25. Vigore qualitatis secundæ n. 20. notatæ sufficit, quod Confessarius sit ab Ordinario approbatus, in cuius Diæcesi instituitur litterarum executio. Quare accipiens litteras sacræ Pœnitentiariæ potest aliam etiam diæcesim, aut Parochiam ingredi, & a confessariis illius diæcesis, aut Parochia absolvit, & dispensari. Imo frequenter expedit, ut procurantes Confessarij hujusmodi dispensationes (eos, qui istis dispensationibus egent) dirigant ad alios Confessarios alterius loci, quia sic aliquando fieri suadet periculum acquirendæ talis qualis notitiæ, aut suspicio ab alijs impedimenti dirimentis: prout ego aliquando fructuosè, & salubriter suasi cuidam, ut me ordinarium alioquin suum Confessariū deserat, & accedat cum litteris sacræ Pœnitentiariæ à me procuratis alium ad tollendam alijs verlantis impedimenti umbram.

26. Demum requiritur, ut Confessarius ab oratore, pro quo dispensationis litteræ sunt emanatae, ad exequendum eas sit specialiter rogatus, & electus, ut deducitur ex ly *per latorem praesentium ad infra scripto specialiter eligendo*. Circa hoc tamen observandum: quod si contingat unum Confessarium à pœnitente electum præfatas litteras exequi nolle, aut

ob austericatem , & asperitatem pœnitenti displicere , possit pœnitens variare , & alium eligere mitioris , & benignioris opinionis : ita Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 72. qui dicit , sœpe interrogatam sacram Pœnitentiariam sic respondisse . Ratiō est : ōmnis quippe commissio sequitur naturam fori , nisi in litteris Commissionis alter exprimatur . atqui forum poli , ~~se~~ internum non astringit pœnitentem ad opinionem aut sententiam unius Confessarij , sed sinit eligere alium . ergo commissio delegata sinit repudiare Confessarium austерum , & eligere alium .

27. Secundus paragraphus est , ut Confessarius verificationem impedimenti indaget : *discretioni tuae committimus , quatenus si ita est , dictam latricem &c.* Cum proinde hæc dispensandi facultas fieri debeat , & exequi in solo secretissimo conscientiæ foro , illius fori legibus aptari debet , quæ sunt , ut Confessioni pœnitentis integra fides adhibeatur : & veritatem teneatur investigare Confessarius remotis quibuscumque testibus à solo illo , cum quo dispensabit : nec ad firmandam rei veritatem debet à pœnitente Confessarius juramentum petere , sed credendum est pœnitenti tam pro se , quam contra se dicenti : nec opus est hâc veritatis investigatione , si rei veritas aliundè constet .

28. Notat tamen providè Sanchez : quod Confessarius aliunde certò sciens preces allegatas in ea dispensatione esse falsas, seu preces veritate non niti, seu aliter se habere casum, Confessarius non debet dispensare, quamvis pœnitens eas esse veras dicat, & asserat.

29. Tertius paragraphus est *audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac juxta occasionem amplius peccandi cum dicti visi filio: unde palam est, actum hunc dispensationis fieri debere in ipsa Sacramentali Confessione, prout amplius constat ex eadem littera moderni styli (quanquam in veteri stylo aliter habetur, & hinc Doctores tempore illo scribentes aliter sentiebant) in foro conscientiae, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non alio modo. Per occasionem peccandi intelligitur proxima, si oratrix v. g. cum filio viri sui saepius peccaret, aut in eadem domo maneret, quâ de causa Confessarius ante omnia debet mandare pœnitenti, ut occasionem tollat, & ante sublatam occasionem dispensatio non impertiatur. Quod si occasio sublata sit, aut seria emendatio subsecuta ante perceptionem, vel tempore perceptionis litterarum, nullumque amplius periculum subesse advertit Confessarius, dispenset juxta sibi datam facultatem Confessarius in ipso actu Sacramentalis Confessionis.* 30.

30. Quartus paragraphus est : *In iuncta ei pro modulo culpa gravi punitentia salutari, ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum :* intendit, & vult sacra Pœnitentiaria dictatoriâ hâc clausula præter mensituam Confessionem exercendam per annum, aut annos tres, quatuor, aut per totam vitam iuxta arbitrium prudens Confessorij, aliam gravem pœnitentiam debere imponi pœnitenti, & cum hanc non taxaverit Pœnitentiaria iterum prudenti Confessoris judicio relinquitur.

31. Quintus est : *dumodo impedimentum præfatum sit occultum :* atque hæc clausula conditionem importat, quod si impedimentum jam esset notum, aut manifestum, dispensatio pro foro interno foret invalida. Quando autem censeatur impedimentum occultum, traditur Parte 2. n. 76.

32. Sextus demum est : *prolem suscepit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo :* dispositio ista gratiosa sequentia confert proli beneficia : primò, quod si Matrimonium in facie Ecclesiæ servatis servandis bona fide faltem ex parte unius erat contractum, proles ex eo nata in utroque jure ad omnes iurium favores legitimatur. Secundò : si proles fuit concepta ante dispensationem ex Matrimonio utrinque malâ fide celebrato, vi
præ-

præfatæ dispositionis pro foro conscientiæ ad omnes juris effectus, tum temporales v. g. adire hæreditatem, percipere legatum &c. tum spirituales, v. g. fulciper sacros Ordines &c. Tertiò: si proles concepta, & nata fuit (excipe prolem natam ex diuinitato concubitu, quia v. g. prior conjux vivebat) ante Matrimonium invalidè contractum, per subsequentem dispensationem obtentum post Matrimonium contractum invalidè legitimatur quo ad effectus spirituales tantum.

33. Ut proinde Confessarius in foro suo Sacramentali ritè omnia agere valeat, quæ punctum litterarum sacræ Pœnitentiariæ concernunt, observet sequentia, quæ per modum recapitulationis do. Primo: an prædictus sit qualitatibus ad exequendum requisitus? videat. Secundò: pœnitentem moneat de necessariò instituendâ Confessione. Tertiò: examinet pœnitentem, ac attendat, num preces veritate nitantur. Quartò: mandet pœnitenti, ut occasionem proximam peccandi, si hæc adsit, tollat, & destruat. Quintò: ante dispensationem injungat pœnitentiām gravem, & juxta præscriptum litterarum menstruam Confessionem, vel ad determinatum tempus, vel toto vitæ tempore, prout magis expediens judicaverit in Domino, quamdiu sacra Pœnitentiaria arbitrio

Confessarij committit, secus, si illa quo ad menstruam Confessionem tempus decernit, sic enim præfinitum tempus punctualiter observandum pœnitenti rigorosè promulgabit. Sextò : absolvat à censuris, & alijs pœnis propter præmissa quomodolibet incursis. Septimò: dispenset super impedimento in ipso actu Sacramentalis Confessionis. Octavo: sub ~~actu~~ Confessionis actu decernat problemam legitimam suscepit, aut suscipiendam. Nono: doceat pœnitentem circa renovacionem contractus Matrimonialis. Decimò: laniet, & corrumpat litteras sub peccato mortali, & excommunicationis pœna, ita ut servire non valeant probationi in foro externo seu contentioso, nec eas in originali servet, minus pœnitenti restituat.

Controversia Prima.

An Confessarius sciens nullitatem Matrimonij, sed à contrabentibus bona fide ignoratam, obligetur illam sic contrahentibus promulgare?

Species facti. Brusius homo Rusticus occasione dedicatio-

tonis Ecclesiæ Parochialis adit Confessarium , peccata sua nedum præsentia, sed & præterita sincerè confitetur: inter præterita , & aliquando jam confessa pandit præ reliquis ^{speciale} nempe , quod ante annos foro rem uxoris præsentis completè carnaliter cognoverit : Confessario mox incidit impedimentum dirimens ex copula fornicularia ortum , & quærerit in genere à Brusio , num præter ipsum peccatum grave alium conscientiæ remorsum patiatur ? respondit , & replicat Brusius: nullum , præterquam quod doleat de incasta vita sua præterita , & Ipondet , se velle imposterum unicè dilectæ uxori suæ adhærcere: fluctuat in

in animo Confessarius, num Brusio promulgandum foret ex copula fornicaria cum sorore uxoris habita enatum impedimentum diuinens, aut melius reticendum.

34. Promulgandum judicat ex ratione duplice. Prima est : Omne peccatum, dum per Confessarium impediri potest, absolutè impediendum, & tollendum est. Sed usas Matrimonij cum putatitia conjugi est peccatum fornicationis, & incestus ortum ex fornicariâ copulâ antecedenter habitâ cum sorore conjugis præsentis. ergo peccatum fornicationis, & incestus non tantum impediri debet, sed & promulgari impedimentum à Confessario illud animadvertente, ut valeant hujusmodi conjuges ab usu Matrimonij nullius abstinere.

35. Secunda est. Confessarij (sive is prius sit pastor, sive in audiendis Confessionibus munus proprij pastoris obeat) officium est, instruere pœnitentem. ergo tenetur tollere ignorantiam impedimenti, & occasionem continui peccati incestus.

36. Sed reticendum impedimentum judicat

cat cum soto 4. d. 18. q. 2. ar. 4. ad secundum. Enrique Ledesma Sanchez. Ratio est primò. Quia nulla lex præcipit actus inutiles, & otiosos. atqui Confessarius monens pœnitentem de impedimento dirimente, ageret actum inutilem & otiosum. ergo Confessarius non obligatur monere pœnitentem de impedimento dirimente. Ma. est certa, quia omnis lex efficax esse debet. Mi. prob. Quia si Confessarius moneret pœnitentem de impedimento, is nec abstinenter reddendo, ut probabilissimè præsumitur, nec fors petendo, ut non se prodat de latente aliquo malo negotio, aut perduto amore erga conjugem. ergo Confessarius monens pœnitentem de impedimento dirimente ageret actum inutilem, & otiosum.

37. Secundò. Omnis correctio ad correcti utilitatem instituitur, & cessante spe correctionis ipsa cessat, sic quoque Confessio ad bonum pœnitentis tendit. ergo ubi Confessarius rationabiliter prævidet non secuturum bonum pœnitentis, non obligatur ad illud procurandum : prout providè præsumere potest, contrahentem bona fide Matrimonium, & impedimenti ignarum post ejusdem manifestationem ab usu Matrimonij haud destitutum.

38. Confirmatur ex cap. Multi. Cau. 2. q.

1. Tolerentur potius, ne perversè malos quisque evitando ab Ecclesia ipse discedens, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. ergo similiter, & à fortiori Confessarius sua monitione, sua correctione non vinciat ad gehennam invincibiliter delitescēt in ignorantia impedimenti, & nullitate Matrimonij, apud quem rationabilitet prævidet, non profuturam suā monitionem, seu correptionem.

39. Tertio. Quia nulli debemus iniijcere laqueum. atqui admonere in adducta specie facti nil aliud esset, quam laqueum, & offendiculum iniijcere: nam constitutus in bono statu, & bona fide post admonitionem Confessarij transibit in malum & pericolosum statum, quia deinceps maritus v. g. impedimenti conscius tenetur potius mortem subire, quam reddere debitum. ergo.

40. Ad rationem primam pro affirmativa respondeo cum distinctione: omne peccatum, dum per Confessarium impediri potest in bonum ipsius pœnitentis, impediendum, & tollendum est, Con. Ma. secus Ne. Ma. & disg. similiter Mi. sed usus Matrimonij &c. est peccatum fornicationis Materialiter Con. Mi. formaliter Ne. Mi. cum conseq. Prudens itaque Confessarius, dum pœnitentes suos advertit Materialiter tantum peccantes, nempe absque ulla etiam dubitativa reflexione

ne ad malitiam formalem peccati, sinat eos potius delitescere in peccato Materiali, & nil instruat de formalis, donec in bonum pœnitentis meliorem nanciscetur occasionem, prout omnem similem occasionem procurare obligatur: quia quando rationabiliter absque bono pœnitentis impedire peccatum non potest, permittat materialiter peccantem in sua ignorantia, quippe cum nemo obligetur ad actus inutiles, & otiosos: sed ab hac doctrina excipe illam obligationem, quia Confessarius tenet pœnitentem instruere, monere de ijs, quæ ordinantur ad salutarem & legitimam sacramenti Pœnitentiæ susceptionem.

41. Ad secundam dico, quando confessarius probabiliter sibi imaginatur instructionem non profuturam, tenetur non instruere, ne peccandi occasionem præbeat his, qui in bono sunt statu, ut habetur c. si quis autem de Pœnit. d. 7. *Si scierem non tibi prodesse, non te monerem:* nam frustra niti, & nil aliud quam laborando peccatum inducere, extremae dementiae est.

42. Deduco. Dum juris, aut facti ignorantia invincibilis impedimenti stat absque præjudicio tertij, non obligatur Confessarius admonere pœnitentem, quando nulla inde speratur utilitas: quod verum esse censeo, non

non tantum, ubi contractum est jam matrimoniū, sed etiam ante illud contractum: si enim confessarius animadvertis laborare pœnitentem ignorantiā impedimenti, & probabilit̄ credat, quod monitis non aquiescet, aut nēc fidem adhibebit, & læsā conscientiā nihilominus matrimonium contrahet, aut sine difficultate magna, vel scandalō à contrahendo matrimonio non desistet, prudenter confessarius ager, si taceat matrimonij nullitatem.

43. Limita tamen primō. Si pœnitens dubius interroget confessarium, tunc enim pœnitenti tenetur aperire veritatem, ne taciturnitatem confessarij pœnitens in suum assumat favorem. Sed quandō solus est scrupulus Theologicè sumptus, potest confessarius tacere, vel respondere, ut deponat scrupulum: quia scrupulus non tollit bonam fidem.

44. Secundō. Nisi ex ea taciturnitate prævideatur malum communitatis, aut boni publici: in tali enim casu tenetur confessarius admonere: quia bonum commune præferendum est privato, licet ex ea admonitione nullus speretur fructus.

45. Tertiō. Obligatur tamen Confessarius suaviter, & sapienter tractu temporis inducere media remediantia impedimentum, semper tamen salvo contrahentium bono, & remoto omni scandalo.

Con-

Controversia II.

An invincibiliter ignorantis impedimentum dirimens possit Confessarius præcipere, ut reddat debitum?

Species facti; Brusius idem (qui in præcedenti controversia) stante impedimento dirimente , sed ab Ipso penitus ignorato fataliter incidit in discordiam cum adamata conju-
ge , & ut eam amplius reconciliatio-
nis spe privet ad tempus ,
recusat reddere uxori per
actus implicitos petenti de-
bitum : Brusius ab uxore accu-
satur confessario : cui alioquin
notum est impedimentum diri-
mens matrimonij , ac orat , ut

maritum Brusium pro sua au-
thoritate compellat ad red-
dendum.

46. Sotus & cum ipso alij 4. d. 18. q. 2. art.
2. tenent, non posse confessariū monere pœ-
nitentem prædictum, ut reddat, sed tantum
in genere debere dicere: conjuges teneri ad
reddendum debitum.

47. Prob. Confessarius scit matrimonij
nullitatem, & hāc stante reverā conjux non
obligatur reddere debitum. ergo confessa-
rius præcipiens, ut reddat, mandat fornica-
tionem, quæ intrinsecè mala est. Confr. Non
licet complacere in actu intrinsecè malo,
quanquam excusato propter ignorantiam,
qualis est iste. ergo neque hujuscemodi actū
potest præcipere confessarius.

48. Prob. secundò. Nequit confessarius
præcipere Parocho simoniacè promoto, sed
ignorata à Parocho simonia, ut exerceat be-
neficium ratione collati beneficij. ergo ne-
que præcipere poterit conjugi, quanquam
impedimentum ignorantis, ut reddat matri-
monij debitum.

49. Sed Corduba. Sum. q. 189. punct. 1.
Ledesm. 2. p. 4. q. 8. art. 4. dub. 10. ad fi-
nem. tenent affirmativam. Prob. Pœnitens ex-
de-

decisione præcedentis controversiæ relinquentus est in sua ignorantia, & bona fide, cui notum alioquin est, quod lethaliter peccet absque sufficienti ratione non reddendo debitum. ergo Confessarius obligatur præcipere redditionem debiti, dum prudenter judicat reticendum impedimentū. Et certè non satis assequor, quid inter hæc distet, dicere in genere: conjuges teneri reddere debitum; vel maritus tenetur reddere debitum, ergo si in genere monendi sunt conjuges de obligatione matrimonij, quæ partim consistit in petitione, & redditione, obligandus etiam erit in particulari hic maritus alioquin recusans absque ratione debiti redditionem.

50. Ad argumentum primum oppositum respondeo Neg. Confessarium præcipere rem formaliter malam, quanquam materialiter talem, sed rem suppositis circumstantijs ocurrentibus, & concurrentibus debitam. Deinde: complacentia in actu materialiter malo, & propter circumstantiam ignorantiae excusato tunc illicita est, quando actus ille nec attentis circumstantijs honestari potest, secus dicendum est, quando honestatus, debitusque est.

51. Ad secund. Argumentum Neg. Confe Disparitas lata est: nam simoniacè promotus, DEO, propter crimen læsa Divinæ Majestatis, & Homini injurius est, consequenter

monendus de sua simoniaca promotione, ut desistat ab exercitio officij; at impedimentū ignorans, & versans in bonā fide manet in pacifica juris sui possessione. ergo petens debitum turbari non debet (cum inde nulli fiat injuria) in redditione correspondente.

§ 2. Deduco, & dico: obligandum esse pœnitentem in proposita specie facti non obstante nullitate matrimonij, sed invincibiliter ignorata, & solummodo à confessario cognitā, ad reddendum debitum: & ut advertit Henriquez l. 6. de Pœnitent. c. 27. n. 5. minime mentiri Confessarium dicentem, Brusium esse suę præsentis uxoris conjugem, cum talis communi æstimatione, & reputacione sit, sicut verum dixit Beatissima DEI Genetrix Lucæ 2. Ecce Pater tuus, & Ego dolentes quarebamus Te, cum tamen Sanctus Joseph non esset verus Pater, ut fides certissime docet, sed sola communi reputacione, & opinione.

§. I.

ERROR.

Prima species facti ex Bonacina de Imped. Matrim. q. 3. p. 3. n. 4. Titius contrahit de præsenti

fenti cum Bertha, quam putat esse Catharinam, quâ cum celebrarât sponsalia, Sed ita est habitualiter dispositus, ut non tantum contraheret cum Bertha, si illam sciret (& forsan libenter) sed etiam indicet hanc suam intentionem : ducerem Bertham loco præsentis (ita errore ductus) Catharinæ, si nossem hanc esse Bertham. Quæritur.
An error iste obfit contractui matrimoniali Titij cum Bertha ignorata, licet præsente?

Secunda species facti. Titius contracturus matrimonium cum Caij primogenita, vult prius illam inspicere, num sit formosa, sibiique placeat. Verum quia primogenita Caij est deformis,

locd illius ostenditur secundd-
genita formosa, vel alia alterius
hominis filia, quæ illi formosa
videtur, & placet. Postmodum
Titius contrahit matrimonium
cum primogenita Caij, non ad-
vertens, an sit illa, quæ prius sibi
fuerat ostensa: non enim pote-
rat advertere, quia fortasse velo-
tecta erat, vel quia celebravit
marimonium per procuratorē,
vel quia aliam ob causam non
advertit. Sic Bonacina. Quæ-
ritur. *An, ubi advertit defor-
mem Lyam Titius, error talis
eum liberet à matrimonio velut
irrito?*

53. Prima species facti notat errorem
alium esse personæ, seu circa substantiam,
alium notat secunda species facti circa qua-
litatem, seu accidens. Duxi personæ seu sub-
stantiæ:

tiæ : nam alia ratio est in hoc sacramento, atque alijs, in quibus ratio personæ præscindere, & præscindi potest à substantia sacramenti v. g. si confirmas, baptizas, aut ungis Petrum, quem putabas Joannem: nam cum in matrimonio spectetur traditio corporis, & personæ ad societatem individuam ; & præterea de essentia hujus sacramenti est contractus seu consensus personalis ipsorum contrahentium, facile appareat personam non posse præscindi à substantia.

54. Secundò deducitur errorem alium esse *antecedentem*, seu qui dat causam contrahendi, v.g. dum ideo Bertha dicitur quia nobilis, quia formosa, quia dives, multò magis si explicitè apponatur talis conditio: aliú se habere *concomitanter*, seu incidenter in contrahendum; quod fit, quando contrahens nō ita libenter, alacriter, aut promptè contraxisset, si error suisset detectus. His notatis

55. Suppono primò ut communiter receptū, per errorem *jure naturæ* dirimi matrimonium, quoties error versatur circa substantiam, Ratio ex L. si per errorem ff. de Jurisd. nihil est magis contrarium consensui quam error. & L. cum testamentum. Errantis nullus est consensus: hinc sic formo argumentum. Jure naturæ nullo contractu obligor, nisi in quem consentio, aut quo obligari volo. atqui er-

rans circa substantiam non consentit. ergo.
Hinc matrimonia etiam inter infideles cum
hoc errore contracta esse nulla, deducitur:
cum etiam hi subjaceant juri naturæ.

56. Suppono secundò. Non omne illud
pertinere ad substantiam rei, cuius ignoran-
tia hic & nunc dat causam contractui: quia
dum v. g. nunc consentis in divitem non con-
sensurus, si forte divitem naestus non fuisses,
nolitio, quæ re ipsâ non existit, sed solum
fuisset extitura, non ponit, neque tollit obli-
gationem, sed solum posuisset, aut sustulisset:
Sic Testator, si forte filium dilapidaturum
ardue parta prævidisset, non instituisset hæ-
redem; si tamen instituit, testamentum valet.
Quod si tamen error circa tale accidens sit,
eui contrahens intentionem suam prima-
riam defacto alligavit, & ad illud ita ad-
strinxit, ut absolute non contrahat, nisi cum,
& sub tali qualitate licet accidentali: vel ut
benè pro regula ponit Haunoldus Tr. 8. l. 2.
si sit tale prædicatum, licet accidentale, ad
quod ex communi hominum sensu vel dispo-
sitione legis præsumitur saltem implicitè, &
virtulaliter restricta intentio Contrahentium,
contractus vitiatur.

57. Nunc de errore circa personam in pri-
ma specie facti, errorem talem, licet sit circa
personam, cum sit tantum concomitans, &

non

non tantum ex dispositione illa habituali, sed etiam formali expressione ejusdem procedat, non invalidare matrimonium probari potest primò. Titius sic consentiens consentit consensu pleno, et libero ac voluntario, ut patet atqui talis consensus est sufficiens. ergo. Mi. probatur: quia error circa Bertham cum dicta expressione non impedit, quin sit consensus absolutus, ut ostenditur ex suarez, & communia apud eundem Bonacinam de Censuris. d. i. q. 2. p. i. n. 20. qui percutit Caium Clericum, credens illum non esse Caium, sed Titium itidem clericum, incurrit excommunicationē, quia error ille nō facit lex intentione absolute percutiendi Clericum Titium intentionem Conditionatam, aut restrictam. ergo etiam in nostro casu.

58. Probari potest secundò. Contractus emptionis, quo Titius v. g. vendat actu equum suum Caio, quem putat esse Terentium, quo cū pactus fuerat, non est irritus, ergo etiam &c. Idem ab alijs instantijs deduciposset. Et demum ex contractu coniugali, Iacob Patriarchæ cum lija, quam credebat esse Rachalem: & tamen nemo dicit, dein à Iacobo repudiatam fuisse lyam. ergo multò minus in casu nostro.

59. At verò errorem dictum in prima specie facti expressum irritare matrimonium,

non obstante quod concomitans sit, seu cum dicta habituali dispositione tenent Auctores communiter apud Sanchez. l. 7. d. 18. n. 6. & apud Bonacinam cit. Alterum verò etiam non obstante actuali expressione hujus suæ voluntatis matrimonium esse nullum sentit Bonacin. cit. n. 4.

60. Probatur quo ad primam partem ex Escobar, & Bonacin. Ad matrimonium legitimum requiritur voluntas, & consensus positivus. Sed error circa personam quam concomitans impedit consensum positivum, & absolutum. ergo. Mi. prob. Quia nihil volitum absolutè & positivè nisi verè præcognitum, atqui hic non est præcognita Bertha, ergo neque volita absolutè. Hinc nego quoque esse voluntarium consensum, licet positivè involuntarius nonsit : etenim voluntas non fertur determinatè absolutè ; sed conditionatè tantum. Quo ad secundam partem probat sic Bonacina. Quia in hoc casu non consentit absolutè, sed tantum indicat, quid facturus esset, atqui ad matrimonium validè contrahendum debet fieri consensus in rem determinatam, & absolutam. ergo.

61. Aliud esset, si consensus feratur ita, ut intendat contrahere cum tali persona, *qualisunque deum illa sit*, cum qua actu contrahit

non determinando an Bertha, an Catharina? ratio est: quia in taliter disposito contrahente consensus est absolutus, positius, actualis. In cuius rei confirmationem adducit Bonacina, quod cit. loco n. 57. apud me, & docet ipse, merito incurri ab eo percussore excommunicationem, qui percutit Clericum putans esse laicum, si sit ita paratus percutere seu sit Clericus, aut tantum Laicus, nam consensus jam est absolutus etiam in Clericum quam talem: cum sit propositio in sensu suo proprio disjunctiva: hujus autem utraque pars est positiva absoluta.

62. Ad primum argumentum oppositum nego imprimis Ma. quo ad lij *voluntario*, ut dixi in probatione primae partis, deinde transeat Ma. Neg. Mi. ad ejus probationem dico, eum consensum ferri in non volitam personam, quia in non cognitam. Ad instantiam facilis est responsio, quia ratio, & nervus excommunicationis respicit percussionem Clerici ut talis praescindendo ab individuo, est enim privilegium annexum statui Clericali, cui etiam quævis privata cessio personalis est nulla: aliter res se habet in matrimonio, ut dixi. Certum præterea est apud omnes, consensum debere esse in personam determinatam: quod hic non habetur.

63. Ad secundum. Ad primam instantiam patet ex dictis. Ad secundam dico Jacobi

cobi matrimonium fuisse primitus nullum ob
defectum validi consensus: qui tamen con-
sensus cum deinde fuerit aut revalidatus ex-
pressè, aut per copulam maritali animo factā,
nihil euincit contra præsentem casum.

64. Ad secundam speciem facti, ubi agitur
de errore in qualitate, haud erit inutile ad-
ducere regulas aliquas, quibus dignoscatur,
quandonam error in qualitate dirimat matri-
monium, tñ proinde.

65. Prima ex Perez de Matr. disp. 24. sedet
4. n. 5. Error qualitatis tum involvit erro-
rem personæ, quando illa qualitas determinat
actum intellectus, seu intellectum Contrahentis, ut certam omnino, & determinatam
personam concipiat, cum qua intendit hic
& nunc Contrahere, eamque distinctam ab
ea cum qua uult extrinsecum celebare Con-
tractum v. g. vides duas mulieres alteram se-
dentem, stantem alteram (ex Tamburino)
alsique: *volo contrahere cum hac, qua sedet:* au-
dis ex amico illam esse nobilem, hanc rusti-
cam, alsique: *volo Contrahere* (ex Gobat)
cum hac, quæ nobilis est, aio hanc sessionem,
hanc nobilitatem esse qualitates quidem,
sed in præsenti esse signa substantiæ ejus,
cum qua vis inire matrimonium; atque adeo
errorem, si quis est, redundare in personam.

66. Secunda. Si qualitas sit finis matrimonij, ita, ut matrimonium sit unicum medium ad finem illum assequendum, seu obtinendā illam qualitatē; error talis qualitatis impedit matrimonium. Ratio: quia tunc illa qualitas est primarium motivum imò unicum consensū, quod motivum, si fallat, fallet etiam consensus. ergo & matrimonium v. g. conjunctio cum insigni familia, pacis restauratio.

67. Tertia. Quando qualitas ea est, ut formaliter, & expressè dicas Te propteream qualitatem contrahere; aut, si intentionem tuam formaliter & expressè dicas Te propter eam qualitatem contrahere; aut, si intentionē tuam formaliter & expressè ei qualitati alliges; tunc error in tali qualitate annullat matrimonium. Primum tenent Doctores omnes. Secundum Perezcum Pontio, & alijs. Ratio utriusque; quia à tali qualitate pendet assensus, seu consensus. His positis

68. Ad præsentem speciem facti videtur Titius invalidè contraxisse matrimonium, primò, quia sponsalia celebrata perdolū dantē causam contractui sponsaltio sunt invalida. ergo multò magis matrimonia. Secundò Titius censetur intentionem suam alligasse illi formosat, quam vidit, cui deinde supposita est turpior. ergo non consensit in posteriore.

69. Respondeo cum citato Bonacini. Matrimonium fuisse validum. Ratio: quia consensus Titij ferebatur in primogenitam, ut supponit casus. ergo per deformitatē, aut per dolum formositatis nihil impedimenti in consensum potest induci. ergo validē contrahit, sicut, si deformem scivisset, fortè non tam promptè consensisset. Et hinc principiū universale statuit Bonacini. n. 5. loc. cit. quia matrimonium cum hujusmodi errore, & dolore celebratum est simpliciter voluntarium quo ad naturam, & rei substantiam. atqui tale matrimonium est validum. ergo.

70. Ad rationes in oppositum respondeo ad primam Con. Antec. Neg. Conseq. disparitas est, cur speciale aliquid statuatur in matrimonio, nimisrum, ut tanta confusio in republica evitetur: nam si hoc semel demus, ut propter quemlibet errorem qualitatis dissolvatur matrimonium, quod ex his subsistet, quae religiosa professio subsistet? ita ferè AA. Ad secundum respondeo, in specie facti id non constare: Cæterum recurrentum erit ad regulam tertiam supra allatam, si causa ita formetur.



§. II.

Conditio.

Species facti. Chrysippus patra Teuto, religione Catholicus, ab ortu liber in bello Turcico redditur cuiusdam Turcae mercenarius perpetuus, post praestita annis aliquot suo Dominino mira servitutis obsequia, & Dominum naturaliter, simulque humaniter ad quandam recompensatione inducenti, offert Dominus Chrysippo mulierem natione Graecam, & professione Romanam in matrimonium, quam liberam quoque opinabatur Chrysippus: sed post celebratum matrimonium contractum advertit ex circumstantibus praesentis fœmi-

næ æquè ac suum servilem statum, & conditionem, eam à primis tori amplexibus inscio domino repudiat, & abigit. Quæritur. Num validè?

71. Nota primò. Olim servorum connubia erant apud legistas mera contubernia, & nullo modo vera matrimonia, ita ut jure Civico irrita censerentur liberorum hominum matrimonia cum ancillis, vel ingenuarum mulierum cum servis, aut servi cum ancilla L. cum ancillis Cod. de Jncest. Nupt. Sed in spirituali hac materia standum est Juri Canonicō, quale invitis etiam dominis contracta matrimonia vult esse rata cap. dignum. de conjug. servor. Sanè iuxta verbum Apololi, sicut in Christo JESU neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesiae removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: Et si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda, debita tamen, & consueta servitia non minus debent proprijs dominis exhiberi.

72. Nota secundò. Omnino invalidum est matrimonium illud, quo liber jungitur servæ, aut libera servo ex errore, cap. proposuit cap. licet

licet De conjug. servor. & ratio efficax est, quia hic error è diametro opponitur bonis matrimonij, ac fini adversatur: primò bono sacramenti, & individuæ societati, cum servus in domini sui potestate existens posset mitti in exteris, & remotas partēs, vel etiam vendi. secundò bono fidei: quia non posset reddere debitum conjugale detentus in obsequijs domini. tertiò bono probis: quia non posset prolem sustentare, cum omnia, quæ acquirit, domino acquirat. Quod si tamen contrahens adverteret, & cognosceret servitudinem foemine, & econtra, validè contrahert, etiam reluctante domino: quia matrimonium est concessum jure naturali omni homini, lege aliâ non prohibito, & in remedium concupiscentiæ, & ad propagationem naturæ humanæ, quod dominus impedire non potest: quia ageret contra omnem naturalem æquitatem.

73. Nota tertio. Quod matrimonio superveniens servitus illud minimè dirimat, nec virum, aut mulerem à matrimoniali vinculo, & debito absolvat: deciditur can. Perlatum est. Cau. 29. q. 2. *Perlatum est ad sanctam synodum, quod quidam ingenuus ingenuam accepit uxorem, & post filiorum procreationem occasione divorcij cujusdam servum se fecit, utrum necessariò mulierem tenere debet? et si tenuuerit, utrum illa*

quoque, secundum facultatem legem servituti subiecti debeat quæsum est: judicatum est, uxorem minimè debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitudinem redigi, dum illæ non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

74. Quartò, duo hic singulariter notanda veniunt: primò Conditionem mancipij, vel servitudinis non nullare matrimonium per se: quia (ut dixi n. 72. ad finem) servus verè matrimonij capax est, sed ignorantiam duntaxat conditionis illius, ratione cuius, qui ita contrahit, non præsumitur consensisse. Secundò. Conditionem servitudinis redundare in ipsam personam, & ipsam inficere quādam pœnaltate bonis matrimonij immidiatè contrariā, ut exhibui cit. n. 72, Nunc ad speciem facti.

75. Pro Negativa argumentor primò à ratione. Si quis ignobilem pro nobili, turpem pro pulchra, veneficam vel sagam ducat in matrimonium, tale est validum. ergo etiam si servam. Conseq. prob. Eadem est in serva conditio, quam præcominatis. ergo si prænominatorum subsistit matrimonium, subsistet quoque matrimonium cum serva.

76. Argumentor secundò. Conditio servi contrahentis cum ancilla, quam putabat liberam, non sit deterior, quod contraxerit cum æquali suæ conditionis, nec respectu

spēctu suā conditionis fuit deceptus. ergo seruus Chrysippus nequit repudiare conjugē opinione liberam, re servam.

77. Argumentor tertio ab auctoritate Julij Papæ. Can. 1. Cau. 29. q. 2. *Omnibus nobis est Pater in cælis, & uniusquisque dives, & pauper, liber, & seruus, aequaliter pro se, & pro animabus eorum rationem reddituri sunt.* Quapropter omnes, cujuscunque conditionis sint, unam legem, quantum ad Deum, habere non dubitamus. si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenium dimitti non potest, sic nec seruus semel conjugio copulatus alterius dimitti poterit. ergo post celebratum contractum matrimoniale servi cum serva invalida est dimissio servæ, quæ à contrahente servo alioquin putabatur libera.

78. Pro affirmativa stant pauci, ad eam tamen amplectendam moveor primò. Jus Canonicum fundatum in jure naturæ irritat matrimonium, in quo est verus conditionis servilis error. atqui in adducta facti specie invenitur verus conditionis servilis error. ergo in facti specie legitimè, & validè repudiata manet mulier, libera in opinione tantum.

79. Moveor secundò. Ut matrimonium sit validum, consensus matrimonialis debet esse liber, prout significat S. Paulus 1. ad

Corint. 7. his verbis : *qui uult, nubat, unde Concilium Trident. sessio. 24. C. 9. ait : cum maximè nefarium sit, matrimonij libertatem violare.... præcipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant sub anathematis pæna, quam ipso facto incurvant, ne quovis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant. at qui liber consensus servi non fertur in illam ut ancillam, sed ut liberam. ergo cum libera non sit, nullus erit consensus liber matrimonialis, consequenter nec matrimonium.*

80. Moveor tertio. Pôsseret enim esse seruus adeo firmus, ut nullâ ratione vellet ancillam ducere : quinimo prudenter faceret, ne nati ex tali matrimonio servi essent, & ut liberius posset usui matrimonij vacare, & si à Domino venderetur, posset ipsum uxor sequi. ergo.

81. Ad argumenta pro negativa respondeo ad primum Neg. Conseq. dispati ; quia conditiones allegatae non adversantur bonis matrimonij, sicut servitus. Verum de saga, aut benefica posset urgeri, utpote cum hæc conditio ipsam vitiare posset : attamen nec hanc conditionem adversari bonis matrimonij, cum eam per sacramentalem confessionem possit expiare, & tollere.

82. Ad secundum dico : quod ratio conditionis in hoc sita sit : quia etsi in persona quo ad substantiam non erret, errat tamen in hæreditaria, & velut necessariò concomitante conditione, quæ adiacet personæ, ipsamque vitiat, qualis est servitus, & pœna generis sive posteritatis : ut proinde ex communi juris interpretatione qui conditionem hanc in persona penitus ignorat, aut positivè credit non inesse, non censetur consenserisse, neque enim quis censetur se amplius, & suam posteritatem velle servituti subjicere, nisi pœnam, & servitutem cognoscat. Quare licet ex conditione ancillæ non fiat servus deterior, evadit tamen deterior ratione sobolis procreandæ. Deinde non vult in ejusmodi servam suum reflectere consensum : atque objectâ hâc fictâ libertate verè Chrysippus dicitur deceptus, non respectivè ad ipsam conditionem in Chrylippo, sed respectivè ad libertatem suæ voluntatis, quæ ex juris statuto conditionem servitutis antecedenter non præcognitam audacter repudiare potest : Pontifícia siquidem lex absque distinctione inter impedimenta dirimentia reponit conditionem personæ, admittitque copiam, seu potestatem admittendi, aut non admittendi conditionem. Hinc Neg. Conseq.

83. Ad tertium Respondeo: cit. cap. vel. le ea solum servorum matrimonia habererata, quae de utriusque consensu post utriusque statutum notitiam celebrata fuere: aliud enim est, si contrahens sciat personam, cui nubit, esse mancipium, tunc enim constat, cum consentire: quia mancipium ex lege Christi non est incapax matrimonij, & viro tum ingenuo, tum servitute obstricto integrum est, mancipium fœminam in uxorem ducere, & econtra, aliud autem est, dum intercedit error conditionis personæ, circa quam in adducto canone nil resolvitur.

84. Deduco. Cum impedimentum conditionis sit, si quis putans se ducere liberam, dicit mancipium, ut hoc impedimentum taliter describit Alexander III. cap. proposuit. Afferens eam esse ancillam, quam liberam esse credebat. Valde probabile censeo, quod matrimonium servi cum ancilla, quam opinabatur liberam, sit nullum: tum defectu consensus: tum ratione impedimenti, quod etiam in uno ignoratum (ducta ratione ab impedimento erroris) videtur dirimere matrimonium.

85. Quæres primò. Num ingenuus volens manere cum ancilla, quam tempore contractus credebat liberam, possit ab ancilla dimitti? Ex affirmativa, quia inter liberum,

& ancillam tempore contractus æstimatam liberam in rei veritate nullum intercessit matrimonium: & quamvis consensus ex parte ancillæ verus reputetur, non valuit tamen ex parte ingenui. Ad hoc enim, ut (juris canonizati est) valeat matrimonij contractus, requiritur consensus mutuus, & ideo cognita conditione servitutis in ea, ipsa non cogitur stare cum libero, quantum est ex vi matrimonij c. si quis ingenuus. Cav. 29. q. 2. unde si contraheret matrimonium cum alio, teneret matrimonium: ratione tamen fidei promissæ benè tenetur ingenuo: quia qui libet tenetur servare, quod liberè promittit, maximè si fidem firmet juramento, & si servari potest sine salutis detimento. Quare compellenda est talis de novo in eum consentire, & cum eo remanere. Arg. De eo, qui duxit in matrim. Si tamen pendente compulsione cum alio de præsenti contraheret, matrimonium secundum valeret.

86. Quæres secundò. Utrum matrimonium liberi cum ancilla, quam tenebat litteram, ratificetur per sequentem carnalem copulam? R. aut copula carnis sequitur certam cognitionem servilis conditionis alterius conjugis, aut probabilem præsumptionem, aut levem suspicionem, aut antecedit? si omnia illa antecedit, non ratificat matrimonium

nium prædictum: quia adhuc liber commis-
scetur ei ex priori consensu, qui fuit nullus.
Si autem sequitur levem suspicionem tan-
tum, etiam non ratificat matrimonium præ-
dictum, titubans enim pro ignorantie haben-
dus est. Si autem sequitur probabilem præ-
sumptionem, & discretam, tunc distingo:
quia aut illa carnalis commixtio facta est ad
præceptum Ecclesiæ, aut non? si non; tunc
aut facta est affectu matrimoniali, aut for-
nicario? si primo modo, tunc dico, quod
ratificet matrimonium propter præsentem
consensum de novo, qui etiam sine carnali
copula cum verbis de præsenti, quæ præces-
serunt matrimonium, ratificasset, nisi alter
conjux, qui est servilis conditionis, prius à suo
consensu præstito recessisset. Si autem facta
est affectu fornicario, matrimonium non ra-
tificatur in conspectu DEI, quamvis ratum
præsumeretur judicio Ecclesiæ, eo quod
præsumeret interiorem consensum de novo
affuisse. Si autem liber cum ancilla carna-
liter copulatus est per compulsionem Eccle-
siæ, dicunt aliqui, quod illa copula si
non præjudicaret: sed non videtur, quo
verum dicant, quia si carnaliter commis-
scetur cum ea affectu maritali, ratificaretur
propter novum consensum, si autem affec-
tu fornicario, mortaliter peccaret. Si an-

tem

tem copula illa sequitur certam cognitionem in libero de servitute alterius, semper matrimonium ratificat in conspectu DEI, si illa conjunctio fiat affectu matrimoniali.

87. Quæres tertio. An liber, qui contraxit cum ancilla, quam credebat liberam, possit ab ea separari licet aliter quam per judicium Ecclesiæ? *sq.* aut contraxerunt in facie Ecclesiæ, aut non, contraxerunt tamen coram testibus, per quos contractus potest probari, aut ita secrete, quod nullo modo potest probari? si primo modo contraxerunt, per judicium Ecclesiæ separandi sunt: quia quamvis in rei veritate matrimonium fuerit nullum, tamen Ecclesiæ debet constare de impedimento, quo in forma judicij cognito sententiabit matrimonium nullum fuisse: unde nemo pro quaunque causa publica potest ab uxore sua separari sine judicio Ecclesiæ. Si autem contraxerunt secundo modo, etiam per judicium Ecclesiæ separandi sunt: quia causæ contractuum matrimonialium, quæ probari possunt in judicio Ecclesiæ, ad judicium Ecclesiæ debent referri. Si autem contraxerunt tertio modo, tunc distinguo: quia aut fama est eos contraxisse, aut non? si fama est, per judicium Ecclesiæ Domini separantur ad vitandum scandalum; Si au-

tem de hoc nulla penitus est fama , non vi-
deo quare non possit eam propria authori-
tate dimittere , si certus est de ejus servili
conditione . Pertracto hunc §. non pro ca-
tholica Europa , sed pro ijs orbis partibus ,
in quibus Concilium Trident. nec promul-
gatum , nec receptum est , & ubi Paganis &
& infidelibus Catholici , & Christiani con-
vivunt , ac sub eorum jugo ingemiscunt .

Reliquas controversias favente Deo
dabit aliis publicus disputationis
actus .

O. A. M. D. G. E. J. V. H.



THESES

SACRO-SANCTÆ

THEOLOGIÆ

EX

Libro I. Sententiarum

JOANNIS DUNS
SCOTI

Doctoris Mariani & Subtilissimi

PROPOSITÆ

In annua publica Disputatione

Q U A S

Defendendas suscepit

Rel. Fr. NICOLAUS ROSMANN

Studens Generalis. Ord. Min. S. P. Francif.

Reformatorum Provinciæ Croatiae

Carnioliae Professus.

P R A E S I D E

P. F. JACOBO HOFFSTET-

TER, Ejusdem Ordinis, & Provinciæ Sacro-

rum Canonum, & SS. Theologiæ
actuali Lectore.

Labaci in Ecclesia Immaculatæ

Virginis DEI Genitricis in Cœlos assumptæ.


Anno à Virgineo partu M. D. CC. XIII.

Mens.

Die

Hor.

De



*De
In accesso Sacro sancto My-
sterio TRINITATIS.*

Non sola solis claritas
lucem pariter nobilitat
obscuritas : clarissima
siderum congeries occiduo soli
parentat splendidius : cæcutit
quis quis meridie audaci oculo
speculatur astrorum Principem,
sed ut lucis gloriam videat, ne-
cessè est, ut attemperet radios.
Arcanum Deificæ Trinitatis in
accessum voco : quia Majesta-
tis suæ pleni sunt cœli, & terra,
quam Divina Providentia ob-
scuri-

scuritate clarescere voluit, quando ob sui immensitatem ab humano intellectu perspici nequit: *nulla enim*, inquit, D. Dyon. l. i. de divin. nom. c. 13., *monas*, aut *Trias*, neque *numerus*, neque *unitas*, aut *fæcunditas*; neque quidquam aliude eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt, arcanum illud summae omniæque superantis *Divinitatis*, quod rationem omnem mentemque vincit, enuntiat: nec ejus nomen est, neque ratio sed in ijs, ad quæ additus non patet, secreta est: puteus hujus Sacro-sanctæ Trinitatis verè altus est, atque hoc ipso inaccessus, in umbra itaque, id est, in fide Catholica certa, & infallibili scrutandus, nam & umbra lu-
huic

cis aureæ Præco est certissimus:
huic innixus de hoc inaccesso,
Ineffabili, & difficillimo TRI-
NITATIS mysterio fit.

§. I.

*De Sacrofando TRINI-
TATIS Mysterio Secun-
dum se.*

EXimius Pr. Amandus Her-
mann professione Franciscan-
canus, ab intellectu præstan-
tia Doctissimus, ab editis libris
nominatissimus pro SS. Trini-
tate præmittit sequentia com-
pendiosè, sed substantialiter. Per
hanc Mysteriosam vocem TRI-
NITATIS cum Ecclesia catholica
intelligitur una indivisa simpli-
cissima entitas DEI à tribus Per-
sonis

sonis æqualiter per identitatem
possessa: & quamvis hoc No-
men in Sacris paginis non re-
periatur, haud tamen est con-
temnendum, aut rejiciendum,
ut impiè fecit Lutherus expun-
gens Litaniarum? versiculum
*Sancta Trinitas unus Deus misse-
rere nobis:* nam ut optimè mo-
net magnus Aurelius, *non est*
curandum de voce, dum de re con-
stat: & alibi: *non curo quid di-
cant Gramatici, dummodo intelli-
gant Populi:* Si enim rebus na-
turalibus novis novæ imponun-
tur voces, & cur non rebus Di-
vinitus revelatis non forent im-
ponenda verba? id ipsum evenit
in alijs à DEO Manifestatis My-
sterijs.

1. Deus est ens personatum.
2. in quo tres tantum sunt di-
versæ Personæ nec plures, nec
pauciores. 3. inter se realiter
distinctæ. 4. & in Deitate con-
substantiales. 5. Mysterium Tri-
nitatis seclusâ fide naturali ra-
tione probari non potest. 6. be-
nè verò probabiliter svalderi, &
explicari in rebus naturalibus,
in quibus vestigia, & imagines
lucent, & apparent. 7. Personæ
Divinæ in esse personali primò
constituuntur, & distinquuntur
non per absolutas proprietates,
sed relativas, seu per relationes
Paternitatis, Filiationis, & Spi-
rationis passivæ. 8. Dantur in
Divinis tres subsistentiæ relati-
væ, etiam in abstracto. 9. & præ-

ter memoratas tres subsistentias
 relativas datur subsistentia abso-
 luta propria Divinæ Essentiæ, &
 communis tribus personis. 10. Ad
 mittitur præterea in Divinis
 quarta Relatio Originis, nempe
 Spiratio activa in Patre, & Filio.
 11. Sed à Patre & Filio minimè
 distincta realiter, benè verò for-
 maliter Scotisticè. 12. Relationes
 originis Divinæ Essentiæ sub sua
 ratione formaliter spectatæ, non
 dicunt perfectionem simpliciter
 simplicem, nec sunt formaliter
 finitæ, nec infinitæ, sed abstra-
 hunt ab utroque.

§. II.

De Processionibus Divi- narum Personarum.

1. **D**antur in Deitate veræ,
 & reales processiones,

per quas una persona procedit
ab alia. 2. harum numerus bina-
rius est, nimirum vera & pro-
pria generatio Filij, & Spiratio
Spiritus Sancti, nec plures sunt
possibles. 3. præcipua & imme-
diata ratio, Cur productio Verbi
sit generatio, non productio
Spiritûs S. est; quod illa sit na-
turalis ab intellectu, hæc vero
libera à voluntate, libera liber-
tate essentiali. 4 Divina Essentia
habet rationem principij *quo*
productionum ad intra. 5. sed
ita ut cum intellectu, & volun-
tate constituat unum totale, pro-
ximum ac immediatum principiū
quo Intellectus generationis Filij,
Voluntas spirationis passivæ. 6.

Pater solus est principium *quod*
filij, uterque verò spiritus S. 7.
Sed num Pater, & Filius spirent
spiritum sanctum in quantum
unum principium, vel in quan-
tum aliquo modo distincti? Di-
co spiritum sanctum procedere
a Patre, & Filio ut uno princi-
pio unicâ spiratione, sicut in Con-
cilio Lugdunensi Gregorius X.
*Fideli ac devota professione fate-
mur, quod spiritus S. aeternaliter ex
Patre & Filio non tanquam ex duo-
bus principijs, sed tanquam ex
uno principio, non duabus spir-
ationibus, sed unicâ spiratione pro-
cedit.* 8. Processiones Divinæ
non sunt de nihilo, sed de aliquo,
nempe de Essentia Divina. 9. at-
tamen non tanquam de mate-

ria, aut quasi materia. 10. Terminus totalis ad *Quem* Divinum Processionum est tota persona producta; terminus vero formalis est ipsamet natura Divina communicata Personis productis à producentibus. 11. Spiritus S. processio est necessaria, & tamen libera libertate essentiali. 12. Cognitio Divinæ Essentialiæ, Attributorum, & Personarum præsupponitur productio- ni Verbi, & idem dicendum de amore respectu spiritus S. 13. ait Cognitio & amor creaturarum possibilium nullo modo præsupponitur Divinis processionibus; 14. minus creaturarum futurorum, aut existentium. 15. Actualis intellectio, & volitio

non sunt actio[n]es notio[n]ales, seu productiones activæ, benè verò dictio respectu Verbi, & spiratio activa respectu sp[iritu]s Sancti. 16. Pater non intelligit Verbo, seu quod idem est, non est formaliter sapiens sapientia genita. 17. Solus Pater dicit notionaliter non Verbo, sed Verbum; principiativè tamen declarat se & alia Verbo à se producto. 18. si diligere accipiatur essentialiter, tunc Pater & filius non diligunt se spiritu sancto, sed amore essentiali.

§. III.

De Personis Divinis.

1. **P**rima SS. Trinitatis Persona propriissimè dicitur

tur Pater. 2. ac recte appellatur
ingenita , & innascibilis. 3. An
tres personæ Divinæ conveniant
in aliquo conceptu Communi
personæ Divine? *R.* Neg. 4. No-
men Verbi est proprium Se-
cundæ Personæ. 5. si spiritus san-
ctus non procederet à Filio, ad-
huc realiter personaliter distin-
gueretur ab illo.

ASSERTIONES

SS. Canonum

Ex Lib. II. Decretalium.

Tit.

De Dolo,& Contumacia.

Jure Naturali Canonicō , &
Civili probabilius est, si do-
lus versans circa qualitates ,
&

& circumstantias Contractus a
Contrahente sit commissus, eique
causam dederit, talem Contractū
non esse penitus irritum ipso jure
naturæ.

*Ex Lib. III. Decretal.
Tit.*

De Præbendis, & Dignitatibus.

Conferens Beneficium sive cu-
ratum, sive simplex præ-
terito Digniore, vel etiam dig-
nissimo, non tenetur ad restitutio-
nem neque digniori, neque Eccle-
siæ: sicut nec ipse Beneficiarius,
qui procuravit tale beneficium,
modo sit verè idoneus.



Ex eodem Libro.

Tit.

*De Rebus Ecclesiæ alienandis,
• vel non.*

*P*raelatus sine Consensu Capi-
tuli, alijsque juris solemnini-
tatis validè renuntiat hæredi-
tati, aut legato rei immobilis, aut
mobilis pretiosæ relicto Ecclesiæ.

*Alienatio rerum Ecclesiastica-
rum immobilium pretiosarum, si
fiat à Prælato ex justa quidem
causa, sed sine tractatu, & con-
sensu capituli, ac proinde sine de-
bita forma, & solemnitate Cano-
nica spectato Jure naturali irrita
non est.*

O. A. M. D. G.
E. J. V. H.